Contents.

DE

PROPERTII CARMINUM

QUAE PERTINENT AD ANTIQUITATEM ROMANAM

AUCTORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MAURITIUS TUERK.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXXV.

Viro Doctissimo

M. JUTROSINSKI

hunc libellum

pio gratoque animo

dedicat

scriptor.

Sex. Propertii ultimum sive quintum librum[1]) permultum a reliquis differre, primo aspectu facile intellegi potest. Nam cum priores libri in poesi amatoria, praecipue in Cynthiae laudibus celebrandis versentur — ita ut primus liber „Cynthia“ inscribi potuerit — perpauca autem carmina ab amore aliena contineant, maxime quinto libro elegias argumentis inter se dissimillimas inesse videmus.[2])

Huc accedit, quod carmina nulla ratione et nullo ordine digesta inveniuntur[3]). Itaque viri doctissimi enixi sunt, ut causas mirae libri condicionis explorarent. Quorum agmen ducit artis philologicae heros, Carolus Lachmannus. Hic enim „libri quarti carmina non ab ipso poeta elaborata, sed ab eius amicis, ita ut in ceras temere coniecta, rudia quidem illa et indigesta invenerant, edita esse“[4]) suspicatus est. Quod excellentissimi viri iudicium mihi in duas partes videtur dividendum esse, quarum unam tantum veram esse probari

---

[1]) In Propertii libris, carminibus, versibus laudandis editionis Hauptianae numeris utar.

[2]) De Cynthia tantum duobus carminibus (c. 7 et 8) agi certe statuendum est; num c. 5, quo lenam illam improbissimam poeta devovet atque exsecratur, ad Cynthiam pertineat, saepius viri doctissimi dubitaverunt. c. 3 est epistola Arethusae ad Lycotam maritum in bello periclitantem data, c. 11 epicedium in honorem Corneliae. Reliquis autem (c. 1, 2, 4, 9, 10) poeta antiquitatis Romanae mores, ritus, fabulas demonstrat atque praedicat, ad quem numerum adiciendum esse c. 6, quo Augustum summis laudibus effert, verisimile est.

[3]) Longe secus existimat Th. Birtius (Antikes Buchwesen p. 425) singula carmina certo consilio disposita esse. Vellem demonstrasset vir doctissimus illam rationem, qua carmina digesta esse putat.

[4]) cf. Editio Lipsiensis (1816) p. 329.

posse arbitror. Atque recte iudicavit, quintum librum non a poeta ipso vulgatum esse, cuius rei documentum in perturbatione carminum ordinis positum est. Nam illa sex carmina, quorum argumenta in rebus Romanis versari scimus, quasi membra quaedam unius corporis esse manifestum est. Qua autem ratione factum esse credamus, ut illa membra disiecta sint, ut carmina non deinceps edita, sed aliis carminibus in dissimillimo argumento versantibus interrupta sint? Certe nulla. Itaque Lachmannum secutus puto, post mortem poetae ab amicis rectae rationis expertibus ultimum librum in lucem emissum esse.

Sed aliter iudicandum est de Lachmanni sententiae altera parte, qua carmina, utpote quae contextu sermonis carerent, non elaborata sed incepta tantum et forma ac specie adumbrata a poeta repente mortuo derelicta esse dixit. Cuius iudicii severitate adducti viri docti, qui eum secuti sunt, libri naturam atque indolem diligentissime excusserunt; quorum alii quidem ultra Lachmanni sententiam progressi totum librum ut puerilem et poeta indignum a Propertio abiudicaverunt[1]), alii Lachmanni causas refellentes recta atque accurata interpretatione explicaverunt, sententias optime cohaerere[2]); quod vero nonnulli loci penitus intellegi ac perspici non possent, magis scribarum neglegentiae quam poetae vitio tribuendum esse. Metricis autem curis hunc librum prioribus tantum praestare Eschenburgius[3]) inquisitione diligentissima demonstravit, ut ultimus liber longe perfectissimus habendus sit. Itaque sic iudico, poetam aetate iam confirmata librum conscripsisse, morte autem impeditum esse, quominus eum longius produceret et perficeret, perfectum ederet.

---

[1]) cf. Heimreichius, Novae quaestiones Propertianae in Symbolis Philologorum Bonnensium p. 676. — Dominicus Carutti, Propertii Cynthia cum libro IV, qui Propertii nomine fertur.

[2]) Krahuerus Philolog. Tom. 27 pag. 58. Brandtius Quaestiones Propertianae 1880.

[3]) liber miscell. Bonn 1864. p. 83.

Ad hoc iudicium — a quo temporum rationes minime dissentiunt — etiam adducor argumentis carminum diligenter observatis. Qua in re praecipue illa carmina eligenda sunt, quibus „sacra diesque cognomina prisca locorum“ versibus illustrare sibi poeta proposuit. Quis enim illis carminibus penitus perspectis negabit, poetam, ut illa scriberet, in morum sacrorum fabularum cognitione totum se collocasse? Eum autem adulescentem in illa studia incubuisse non verisimile est[1]), cum Propertii ingenium ita comparatum esset, ut magis ad lyricum quam ad epicum poeseos genus se converteret. Itaque putandum est, poetam ab eo tempore quo a natura sibi praeclaram ad carmina pangenda indolem datam esse sentiret, ad poesim lyricam sive amatoriam adiisse neque prius ab hoc genere discessisse quam mulieres ab eo amatae abdicatae essent. Quid? Nonne ipse c. III. 10, 17 pronuntiat

„Aetas prima canat veneres, extrema tumultus,
bella canam, quando scripta puella mea est?“

Provecta igitur aetate patriam celebrandam veterumque mores et sacra carminibus describenda sibi proposuit.

Quod ut perficeret, ad eos scriptores adiit, qui de antiquitate Romana scripserant. Itaque cum ad rationem quinti libri intellegendam tum ad Propertii ingenium cognoscendum multum conferre videtur, accurate exquirere, a quibus auctoribus doctrinam illis sex carminibus mandatam petierit, quibus rebus cum eis congruat, quibusque de causis saepius cum eis discrepet.[2])

---

[1]) Unus Hertzbergius (Quaest. Prop. III. 3 p. 223) carmina „Romana“ ante Cynthiae amorem iuvenili aetate condita esse putavit, quam sententiam nemini quod sciam probavit nisi Guilelmo Langio (De Callimachi Aetiis. Dissert. inaug. Lips. 1882 p. 12), quamquam etiam hic dubitanter ad illam opinionem inclinat, cum dicat: „sed quocumque tempore illa aetiologica Propertii carmina scripta sunt etc.“

[2]) Hic libellus expleat velim librum ab A. Ottio scriptum „de fabulis Propertianis“ 1880, cuius libri initio hic doctus vir his ipsis verbis pronuntiat: „fabulas Romanas consulto exclusi“.

Atque quaestionem, quam suscepi, satis difficilem ac lubricam esse, in hac paucitate carminum in aperto est, neque mihi Babylonii horoscopi exemplo utenti gloriari licet: „certa feram certis auctoribus". (V. 1, 75.) Tamen ex hac commentatione certe aliqua utilitas ad carmina ipsa melius intellegenda ut percipiatur, futurum esse spero.

Priusquam autem ad hanc quaestionem accedam, ut eam quam plenissime absolvam, mihi exponendum erit, et quo consilio Propertius illa carmina panxerit et quibus auctoribus in hoc genere carminum usus sit. Qua quidem parte tantum id me agere, ut, quae a viris doctis explorata et indagata sint, in pauca conferam, libere profiteor.

Pars I.

Cap. I.

Quo consilio Propertius carmina de antiquitate Romana condiderit.

Post pugnam Actiacam libera republica deleta non solum naturam civilium rerum sed etiam cum litterarum tum carminum tractationem prorsus mutatam esse inter omnes constat. Recto enim iudicio Augustus se in confirmanda et amplificanda potestate a nullis melius iuvari posse quam a poetis cognoverat, quos ut sibi adiungeret et devinciret omnibus viribus enixus est. Itaque poetae carminibus suis ad usum imperatoris translatis ut cives ad illius amorem perducerent, omnia eius facta laudibus prosecuti sunt et imperium eius consècraverunt, ita ut origines eius ad deos referentes illum iam antiquissimis temporibus ab ipsis deis ad imperium destinatum ac delectum esse confingerent.

Cum autem hoc modo rebus praesentibus praeteritas annecterent atque adiungerent civiumque animos ad antiquitatem converterent, etiam Augusti curas persequebantur, id agentis, ut antiquorum mores et pristinam modestiam in civitatem luxuria corruptam reduceret; atque vita moribusque antiquorum descriptis id maxime docuerunt, magnitudinem et opes populi Romani in maiorum virtute positas esse.

Hanc rationem atque consilium P. Vergilii carmina prae se ferunt: in Aeneide enim praecipue gentem Juliam consecrari, facta et casus populi Romani crebris vaticinationibus

usurpari, totam denique reipublicae amplitudinem quasi imagine adumbrata praemonstrari videmus. In explicandis autem antiquorum moribus Vergilius tanta arte et doctrina usus est, ut poetis, qui secuti sunt, non minus materiam quam exempla praeberet.

Quid? Nonne Qu. Horatius carmina ad laudandum imperatorem eiusque gentem contulit, nonne contendit, ut populum ad antiquorum modestiam educaret? Quanta suavitate ac dulcedine Albius Tibullus vitam rusticorum et pastorum versibus celebravit, maxime illa elegia ad Messalinum missa (II. 5), qua nascentem et crescentem urbem Romam prosecutus imperium gentium maioribus praenuntiatum esse facit!

Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Itaque cum illud studium antiquitatis non casu, sed aetatis ratione et voluntate ortum sit, quam nemo poeta[1]) defugit, non mirum est, etiam Propertium hanc secutum esse; neque quicquam aliud hic poeta spectavit, nisi ut pro virili parte populum virtute ac pristino more imbueret gloriamque eius augeret, quod ipse pronuntiat:

exiguo quodcumque e pectore rivi
fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.[2])

---

1) Omitto Ovidium, quem Augustum summis laudibus extulisse, ut ei blandiretur, ure dicere possumus. Tamen cf. Fast I., 527—532, II. 59—66, IV. 347 etc.

2) Repeto hoc loco Krahneri illa non minus acuta quam vera verba (Philol. tom. 27 p. 61): „Properz verdient im vollsten Masse den Namen eines patriotischen Dichters. Seine patriotischen Elegieen sind sicher nicht die schlechtesten Blüten an dem lebensfrischen Baume seiner Poesie. Wenn man sich müde gelesen an den erotischen Tändeleien, weilt man gern bei diesen ernsten, tief empfundenen und durchdachten Darstellungen römischer Grösse. Der Dichter hat selbst das Bedürfnis, sich in die Betrachtung dieser Grösse zu versenken und die Gestalten der Sage und der Geschichte in epischen Bildern darzustellen."

Hoc autem crimen, quo saepe poetae, qui Augusti aetate floruerunt, accusantur, quod id solum studuerunt, ut carminibus illis amori et fidei principis se commendarent, ut a ceteris, ita maxime a Propertio depellendum est. Quotiens enim poeta in sola amatoria poesi versatus carmen heroicum defugit atque detrectat, quotiens queritur, vires suas tali operi non sufficere, velut

II. 1, 17: quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
ut possem heroas ducere in arma manus,
. . . . bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.

41: nec mea conveniunt duro praecordia versu,
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

IV. 9, 2: quid me scribendi tam vastum mittis in aequor,
non sunt apta meae grandia vela rati etc.

Suum esse solum amorem, sibi celebrandos amantes:

IV. 3, 19: ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
quem legat exspectans sola puella virum.

Nihilo autem secius facere non potuit quin singulis priorum librorum locis honorificentissimo sermone usus studium Augusti versibus exprimeret:

II. 7, 5: at magnus Caesar: sed magnus Caesar in armis.

III. 16, 41: Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est,
illa qua vicit, condidit arma manu.

IV. 11, 49: cape, Roma, triumphum
et longum Augusto salva precare diem.

11, 66: vix timeat salvo Caesare Roma Jovem etc.

Postea autem demum ceterorum exempla secutus, ut longioribus carminibus se ad patriam conferret, animum induxit, neque falso iudicasse mihi videor, poetam post Cynthiae mortem postrema aetate illa scripsisse.

Quae cum ita sint, vix esse videtur, cur quaeramus, num cuius praecipuo impulsu Propertius elegias Romanas composuerit. Tamen nonnulli docti viri perspicere cupiunt, a quo ad illas elegias scribendas adductus sit; quod vix diiudicari posse recte Zingerleius[1]) sensit. Quod enim sermo et argumenta elegiarum a Vergilio et a Tibullo pendent, non satis causae praebet, quod sive huius sive illius exemplum vindicemus. Tamen non contra eos pugno, qui, cum in elegia prima, quae caput corporis habenda est, magis Tibullum sequi videatur, illo Tibulli carmine II, 5 Propertium commotum esse dicunt, ut carmina Romana pangeret. Quamquam Gruppii[2]) acerbissimum iudicium omnino non probo: „Die römischen Elegieen sind alles nur schwache Nachklänge jener Tibullischen Elegie an Messalinus."

Atque quas res Propertius potissimum carminibus suis, quorum quin continuam seriem condere in animo habuerit ratione primi carminis penitus perspecta dubium esse non potest, enarrandas sibi proposuerit, ipse luculentissime profitetur:

V. 1, 69: sacra diesque canam cognomina prisca locorum

quibus verbis coniungenda sunt, quae antea pronuntiavit:

55: moenia namque pio conor disponere versu.

Tamen quae illorum carminum ratio esset, saepe viri docti in controversiam adduxerunt. Lachmannus quidem prorsus erravit, cum Propertium fastos conscribere voluisse, secutum illum Aulum Sabinum, de quo Ovidius (ex Ponto IV. 16, 15):

quique suam Chrysen imperfectumque dierum
deseruit celeri morte Sabinus opus

ex quinto libro colligeret. Quod enim fastorum maxime proprium est, certos dies enumerari et tractari, eo modo quo ab Ovidio factum esse scimus, id in Propertii elegiis minime fit. Sed ne eis quidem assentior, qui Luettjohanne[3])

---

[1]) Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern I. 121.
[2]) Die römische Elegie p. 317.
[3]) Commentationes Propertianae p. 47.

suadente Propertium Romam urbem periegetarum more descripsisse volunt, quippe quorum causae leves esse videantur. Nam illum „hospitem“, quem poeta in prooemio carminis primi alloquitur, a quo Luettjohannes documentum sententiae suae petivit, poetam artis causa induxisse puto, ut aliquem haberet, cui demonstraret, quantum urbs Augusti differret ab illis parvis initiis; quale artificium, ut enumeratio exilis atque arida fiat vivida ac plena, saepius a poetis adhiberi quis est qui nesciat? Atque eodem consilio in altero carmine Vertumnum poeta coram turba aute pedes transeunte de sua indole atque origine disputantem facit. Hoc igitur artificio tantum in eis carminibus poeta usus est, quibus singula persequitur atque enumerat; ceteris autem locis tanto ardore excitatur, ut illo adiumento artis carere possit. Num autem illorum duorum carminum forma et habitus nobis satis causae esse potest, cur credamus omnia carmina Romana periegeseos generi attribuenda esse? Minime! Luettjohannis igitur sententia dimissa, ea verba secuti quae poeta ipse pronuntiavit: „sacra diesque canam cognomina prisca locorum“ cum Hertzbergio et Krahnero statuimus, Propertium origines et laetissima incrementa potestatis Romanae versibus celebrasse. Exordium autem sumens ad explicanda sacra et nomina ab aedificiis ac templis, suo iure poeta etiam hoc praefari potuit: „moenia namque pio conor disponere versu“.

Cuius carminum generis exemplum non a poetis Romanis, qui similes causas tractaverunt, sed ab illo Graeco poeta repetivit, a quo se omnino profectum esse saepissime gloriatur, Callimachum dico.

Cap. II.

Quae ratio intercedat inter Propertium et Callimachum.

Omnes poetas, qui aetate Augusti floruerint, in disciplinam cum reliquorum, qui dicuntur Alexandrini, poetarum se tradidisse, tum maxime Callimachi, quem elegantissimum habitum esse noti illi Ovidii versus significant:

Am. I. 15, 13: Battiades toto semper cantabitur orbe,
quamvis ingenio non valet, arte valet,

inter omnes constat. Huius enim non modo rationem et sermonem imitari solebant, sed etiam argumenta ac singulos versus transtulerunt. Quod in Vergilium cadere, Gellius testimonio confirmat IX. 9,3: „Scite igitur et considerate Vergilius aut Homeri aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos cum effingeret partem reliquit partem expressit.“ De Propertio autem nullo graviore teste uti possumus quam poeta ipso, quippe qui aperte ac libere profiteatur, se non solum ad Callimachum, ubi fieri potuerit, se applicavisse, sed etiam nihil magis appetivisse, quam ut Romanus Callimachus nominaretur:

V. 1,63: ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

IV. 1, 1: Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
in vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.

V. 6, 3: Ara Philetaeis certet Romana corymbis
et Cyrenaeas urna ministret aquas.

IV. 9,43: inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
et cecinisse modis, Coe poeta, tuis. etc.

Tamen quae ratio intercedat inter hos poetas difficillima est quaestio in summa penuria eorum ipsorum carminum, quae

maxime Propertius secutus esse videtur; nam Callimachi hymnos, qui aetatem tulerunt, quippe qui fulgeant summa subtilitate doctrinae, careant autem omni suavitate sermonis et argumenti, ad Propertii poesin excolendam non multum contulisse in aperto est; carminum elegiacorum autem, quae sola ad nostram quaestionem pertinent, tantum ut fragmenta ad nostra tempora pervenirent, fortunae iniuria factum est.

Atque cum plurima eorum nomine Aetiorum nobis tradita nihil nisi sacrorum ritus aut fabularum causas contineant, Schneiderus[1]) ut demonstraret operam dedit, 'totum elegiarum corpus praeter *ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν εἰς Σωσίβιον* et *πλόκαμον Βερενίκης* et siquas alias elegias oblata sollemni aliqua occasione poeta scripsit, communi *Αἰτίων* nomine comprehensum fuisse' i. e. Callimachi elegias non diversas fuisse a carminibus aetiologicis. Cui sententiae a Diltheyo, Rhodio, Rauchio probatae adeo non assentior, ut potius secutus viros doctos A. Ottium[2]) et G. Langium[3]), qui Schneideri argumenta plane refutaverunt, putem, tam diversas fuisse Aetia Callimachi ab eis elegiis, quibus animi sui affectus et dolores exprimeret, quam Propertii carmina de originibus Romanis conscripta ab illis, quibus Cynthiae amorem extulerit. An credamus tam multiplicem ac varium atque copiosum poetam modo quae aliis laeta ac tristia acciderint, versibus expressisse, suos ipsius affectus neglexisse? Quid? Nonne Ovidius poetam alloquitur Trist. II. 367:

> nec tibi, Battiade, nocuit quod saepe legenti
> delicias versu fassus es ipse tuas?

Hic unus Ovidii locus maioris momenti videtur quam illud Suidae testimonium a Schneidero allatum, quod in Mariani metaphrasi *Ἑκάλης ὕμνων καὶ τῶν αἰτίων καὶ τῶν ἐπιγραμμάτων* desiderentur *ἐλεγεῖα*. Propertius autem enarraturus quos

[1]) Callimachea II. 35.
[2]) Otto, de fabulis Propertianis p. 2.
[3]) Lange, de Callimachi Aetiis, p. 4 sq.

poetas in amore celebrando sibi imitandos proposuerit, Callimacho Philetam, quem poetam carmina amatoria scripsisse eaque Bittidis sive Battidis nomine ab eo amatae coniunxisse — exemplis usum Mimnermi Nannus, Antimachi Lydes, Hermesianactis Leontii — acceptum habemus, semper fere subiungit, quod facere non potuit, nisi his etiam carminum genus commune fuisset. Eodem pertinet quod Quintilianus iudicat X. 1,58: „Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupavit!“

Sed ut omittam alias causas, quibus viri docti Schneideri opinionem labefactarunt, de illo tantum Propertii loco satis vexato breviter disserere mihi liceat, quem Schneiderus ad suam sententiam confirmandam interposuit:

III. 34,31: Tu Latiis Meropem Musis imitere Philetan
et non inflati somnia Callimachi,

quo Propertius cum Philetae carminibus Aetia Callimachi coniungit. Hic autem locus non nisi e connexu sententiarum cognosci potest. Neque enim poeta illis versibus de sua ratione loquitur, sed Lynceum poetam amicum a severis studiis et carminibus avocans monet, ne philosophiae se dedat, Homero studeat, Aeschylum imitetur; sed prolaturus exempla levioris generis et Philetam et Callimachum commendat, quos ipse secutus maxime diligit. Ne autem Lynceum amicum nimis angustis finibus contineat, sed ei latiorem campum ad vires exercendas det, carminibus amatoriis Philetae non idem Callimachi carminum genus, sed somnia i. e. Aetia subiungit. Quae iure nominanda erant; nam quoniam eadem inclusa sunt angustis terminis atque omni gravitate carent — cum omnino Callimachus abhorreret a longioribus et inflatis carminibus, quod ipse profitetur fr. 165: *μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν* — contraria sunt carmini heroico Homeri et gravi Aeschyli cothurno. Neque vero Aetia abhorruisse a fabulis amatoriis, carmine quod

inscribitur „Cydippe" plane demonstratur. Facio igitur cum Schneidero, cum dicat, Propertium Lynceum amicum ad Aetia imitanda incitare;[1]) minime autem hoc loco cogimur, elegias amatorias a Callimacho abiudicare.

Hoc autem tenendum est, elegias amatorias Callimachi ab Aetiis ea re differre, quod illis poeta cogitationes et affectus suos mandavit, ad quae explicanda fortasse, quomodo a Propertio fieri videmus, exempla ex antiquitate repetivit; Aetiis autem origines populorum urbium sacrorum exposuit; quarum cum plurimae in re amatoria versarentur, fieri non potuit, quin multa carmina speciem carminum amatoriorum induerent. Quare Propertium in elegiis amatoriis utrumque Callimachi genus spectavisse puto, in elegiis Romanis tantum Aetia eum secutum esse verisimile est. Nimirum poeta Romanus in Aetiorum argumentis niti non potuit: nam ille Romanas[2]),

---

[1]) Hoc praecipue commemorandum est; nam Guilelmus Langius quamquam de Callimachi Aetiis multa accuratissime disputavit, in ipso eo, quod ad nostram quaestionem dirimendam gravissimum est, errare videtur. Cum enim ad Scaligeri sententiam ab omnibus fere adhuc reiectam revertens V. 32 negationem non ad „inflati" sed ad „imitere" refert, Propertium Callimachi Aetia ut inflata vituperantem facit. Quis autem sibi persuadere potest, poetam id carminum genus Callimacho crimini dare, quod se ipsum imitatum esse cum ostentatione quadam profitetur. Quamquam Langium id „nullo modo moratur": putat enim, Propertium carmina aetiologica aut aetate iuvenili condidisse — quod iudicium falsum esse ex eo quod supra demonstravimus elucet, — aut si postea ea condidit, eum iudicium mutasse et quae antea petiverat, deseruisse; atque hoc cum inde apparere, quod praeter paucas illas nullas eiusmodi elegias composuit, tum ex illo versu V. 1, 71:

quo ruis imprudens vage dicere fata Properti.

Sed haec argumenta omni vi carent; illud, quod poeta opus perficere morte praematura prohibitus est, hoc, quia ex illa carminis primi (lib. V.) continuatione iocosa et ridicula nihil certi colligi potest.

[2]) Non desunt poetae Graeci qui Romanas fabulas narraverint: quo ex numero nominandi sunt Butas — ex quo Plutarchus nonnulla hausit de Lupercalibus, Arnobius de Bona Dea — Simylus, Agathyllus (cf. Dionys. Hal. I. 49) quibus merito a Niebuhrio summa neglegentia exprobratur. (Hist. Rom. II. 218—219.)

Callimachus Graecorum fabulas tractavit[1]). Eo diligentius ad Aetiorum formam et habitum sese applicasse Propertius videtur.

Atque carmina Romana distichis composuisse Propertium, non solum cum poetam elegiacum haec metrica ratio deceret, sed etiam cum Callimachum sequeretur, est veri simillimum.

Callimachi vero consuetudinem describendi origines singularum fabularum singulis carminibus, quorum unum quodque peculiare et absolutum erat, Propertio exemplo fuisse non solum credibile est, sed etiam ex Propertii ratione colligendum est, quomodo Callimachus Aetia instituisse videatur. Propertius enim unumquodque carmen prooemio et epilogo ornans initio proponit, de qua re disputetur: re exposita paucis disputata comprehendit, atque ea ratio fuisse videtur Callimachi carminum, ut ab ipso quaestionis capite aetion proficiscatur eodemque concludatur. Incipit igitur Propertii c. V. 4:

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
fabor et antiqui limina capta Jovis.

et finitur v. 94:

a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus;
o vigil, iniuste praemia sortis habes.

it. c. 10 incipit:

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri
armaque de ducibus trina recepta tribus.

et finitur:

nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
omine quod certo dux ferit ense ducem;
seu quia victa suis umeris haec arma ferebant,
hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

it. c. 2: accipe Vertumni signa paterna mei.

---

1) Uno loco Propertius Callimachi reminisci videtur V. 9, 57, quem locum suo tempore afferam.

et c. 9 (fin.) — allocutio ad Herculem —:

sancte, pater, salve, cui iam favet aspera Juno:
sancte, velis libro dexter inesse meo,
hunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

nihil nisi forma conclusionis, qua Propertius usus est, fortasse respiciens ad Callimachum (fr. 120):

χαῖρε βαρυσκίπων, ἐπίτακτα μὲν ἑξάκι δοιά,
ἐκ δ' αὐταγρεσίης πολλάκι πολλὰ καμών.

quibus verbis aliquod carmen conclusum fuisse Naekius (Hecale p. 273) suspicatur.

Quoniam ad prioris partis finem perveni, summam facere mihi liceat. Atque hoc puto, Propertium ad carmina Romana pangenda accensum esse suo ingenio ac voluntate, fortasse etiam Vergilii et Tibulli poetarum exemplo, formam autem carminum a magistro suo Callimacho eum deprompsisse. Nunc transeo ad singula persequenda.

Pars II.

Quoniam in eo est, ut, quos auctores Propertius in singulis fabulis enarrandis videatur secutus esse, exponam, magna cautio, ne nimius sim in disquirendis auctoribus, mihi adhibenda est. Nam nonnullas res in carminibus inesse, quas omnes eruditos homines scire deceret, ut non opus esset auctorem adire, per se patet; alias autem poetam ingenium suum secutum confinxisse vel poetice exornasse, verisimile est. Attamen satis multa in carminibus insunt, quae eum ex aliis scriptoribus hausisse putandum est. Qua de causa operae pretium videtur esse, quid ipse invenerit, quid de aliis repetiverit, inquirere.

Non mirum est, Propertium maxime ad Varronem sese applicasse; hunc enim cum Aetiorum librum conscripsisset, quo veterum institutorum originem causasque exposuerat, apud veteres maxima auctoritate usum esse, testatur Cicero Acad. Post. I. 3, 9: „nos in nostra urbe peregrinantis errantisque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere: tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti, plurimumque idem poetis nostris omninoque Latinis et litteris luminis et verbis attulisti". Merito igitur Varronis scripta apud omnes, qui antiquitati Romanae studebant, maximam vim

habuerunt et fundamentum omnis, quae pertinet ad res Romanas, doctrinae fuerunt; maxime autem scriptores ecclesiastici eum quasi instar cuiusvis scientiae venerati Varronis libros exscripserunt. Quod opportune factum est; nam cum Varronis librorum plurimi aetate perierint, illis locis, quibus posteriores scriptores cum Propertio consentientes Varrone auctore usi sunt, etiam Propertium a Varrone pendere iure colligendum est.

Maioris, quam adhuc cognitum est, ponderis T. Livii ab urbe condita libri ad fabulas illustrandas videntur fuisse; cum enim priores libri ipsi rhetorice et poetice exornati in fabulis antiquis versentur, fieri non potuit, quin poetas [1], ut eas versibus exprimerent, non solum incitarent, sed etiam eis locupletissimam copiam offerrent.

Id sane non mirandum est, Propertium saepissime eos poetas imitatum esse, quorum exemplum, ut patriae serviret antiquitate praedicanda, ad eum pertinuisse persuasum habemus, Vergilium et Tibullum.

Quibus omnibus quantum debeat Propertius nunc videamus. Disputationis ordinem ita instituam, ut in unumquodque carmen inquirens prius in universum de argumento loquar, tum singula persequar [2]). Quare cum carmen primum in enarratione singularum rerum positum sit, de eo postremo loco agere mihi liceat.

---

1) Etiam Ovidium Livio auctore usum esse in exponenda Fabiorum clade (fast. II. 195—242 cf. c. Liv. II. 49), Romuli consecratione (fast. II. 473—512 c. Liv. I. 16, 5), expugnatione Gabiorum morteque Lucretiae (fast. II. 686—852 c. Liv. I. 53—59) recte demonstravit Schenkelius (Zeitschrift f. oesterreich. Gymnas. 1860 p. 401).

2) Quamquam accommodatius esse videtur ad persuadendum, vestigia uniuscuiusque auctoris per omnia carmina persequi, tamen hanc rationem in hac paucitate carminum multas difficultates habere, facile intellegitur.

Cap. I.

De Vertumno (c. 2).

Quae vis ac potestas insit in numine Vertumni dei expositurus, Propertius initium sumit a simulacro, quod dei esse credebatur; erat autem hoc in Vico Tusco, frequentissimo et celeberrimo loco inter Circum Maximum et forum Romanum[1]). Itaque fieri non potuit, quin origo dei a Tuscis repeteretur, cui rei consentaneum est, quod Varro iudicat de l. l. V. 46: „ab eis (sc. Tuscis) dictus vicus Tuscus, et ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriae princeps“. Quoniam igitur signum Vertumni a Vico Tusco seiungi non potest, non alienum est videre, quo tempore Tusci illum vicum occupaverint, de qua re auctores valde inter se dissentiunt. Atque gravissimus auctor Varro hanc rem tali modo narrat l. c.: „In suburanae regionis parte princeps Caelius mons a Caelio Vibenno Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium regem: hinc post Caelii mortem quod nimis munita loca tenerent neque sine suspicione essent deducti dicuntur in planum. Ab iis dictus“ e. q. s. (cf. supr.).

Ad hunc Varronis locum redire in aperto est, quae Servius (ad Aen. V. 560) refert: „tertiam (partem populi) Lucerum quorum secundum Livium et nomen et causa in occulto sunt. Varro tamen dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium a Lucumonibus, hoc est Tuscis, auxilia postulasse; unde quidam venit cum exercitu cui recepto iam Tatio pars urbis est data, a quo in urbe Tuscus dictus est vicus“. Neque minus a Varrone pendent Dionysii Hal. verba II. 37: *ἧκε δὲ αὐτῷ ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Οὐολσινίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος Λοκόμων ὄνομα φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς.*

---

[1]) cf. Cicero in Verrem II. 1, 59: quis a signo Vertumni in Circum Maximum venit quin etc.

Quibus omnibus testimoniis compositis cum eis, quae Propertius praedicat:

3: Tuscus ego et Tuscis orior, nec paenitet inter
proelia Volsinios deseruisse focos

et v. 49: et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
tempore quo sociis venit Lycomedius armis
atque Sabina feri contudit arma Tati.

vix dubium esse potest, quin poeta has res scribens ad Varronem spectaverit, quin etiam eum prorsus expresserit. Hoc certe statuendum est; nam de adventu Lucumonis maxima in dissensione ac varietate sententiarum versantur auctores, e quibus nominandi sunt Festus[1]), quem ad Verrium Flaccum redire inter omnes constat, Tacitus[2]), Claudius imperator[3]).

---

[1]) Festus p. 355. ed. Müller: „Tuscum vicum ceteri quidem omnes scriptores dictum aiunt ab iis qui Porsena rege descendente [discedente?] ab obsidione e Tuscis remanserint Romae locoque his dato habitaverint; aut quod Volcientes fratres Caeles et Vibenna quos dicunt regem Tarquinium Romam secum maxime adduxisse, eum coluerint. M. Varro, quod ex Coelio in eum locum ducti sunt".

Non praetereo Paulum, Festi illum epitomatorem, Varronis sententiam de illo Lucumone non ignorare; quam alio loco repetivit p. 44: „Caelius mons dictus est a Caele quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium versus Sabinos praebuit, eo quod in eo domicilium habuit".

[2]) Tacit. Ann. IV. 65: haud absurdum fuerit tradere, montem eum .... m appellitatum a Caele Vibenna qui dux gentis Etruriae cum auxilium tulisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt.

[3]) Claudius Or. de Gallorum iure honorio: „... Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita apellitavit mutatoque nomine [nam Tusce Mastarna ei nomen erat] ita appellatus est, ut dixi (sc. Servius Tullius) et regnum summa cum r. p. utilitate optinuit". Gardthausenus proximo tempore contra Niebuhrium et Schweglerum hanc Claudii sententiam rectam esse ut demonstraret operam dedit cf. Mastarna oder Servius Tullius, Leipzig 1882.

2*

De eodem Lycmone videtur agere Propertius V. 1, 29: „prima galeritus posuit praetoria Lycmon", quoniam poeta eum rerum gestarum ordinem secutus ante Tatium laudat.

Illam statuam dei ante Numae regnum nondum exstitisse, Propertius Vertumnum ipsum narrantem facit:

59: stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
ante Numam grata pauper in urbe deus.

Consentit poeta cum Tibullo, quem in eodem iudicio de vetere deorum cultu versatum esse elucet ex I. 10, 17:

neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
sic veteris sedes incoluistis avi.
tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu
stabat in exigua ligneus aede deus[1].

Aliter de veterum rebus divinis tradit Plutarchus Numa c. 8: *οὐδ' ἦν παρ' αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν οὔτε πλαστὸν εἶδος θεοῦ πρότερον, ἀλλ' ἑκατὸν ἐν ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστάντες, ἄγαλμα δ' οὐδὲν ἔμμορφον ποιούμενοι διετέλουν.*

Attamen quod poeta exhibet, statuam aeneam a Mamurio ex aere ductam esse, certe confinxit. Hic enim, cuius nomen omnibus notum erat ob ancilia Salia ab eo confecta, de quibus refert Festus p. 131[2]) quasi exemplar veterum artificum habebatur.

Hactenus de origine dei eiusque simulacri, quam poeta initio et fine carminis exponit; nunc venio ad eam partem, qua nominis veriloquium illustrat.

Atque Propertii quidem temporibus, cur deus Vertumnus appellatus esset, tres causae ferebantur, quarum una repetita est a loco, quem obtinebat signum Vertumni. Nam cum antiquissima aetate per Velabrum, quod vicum Tuscum attingebat, Tiberis amnis flueret, postea autem flumen verteretur, Vertumnus a flumine verso nomen suum sumpsisse credebatur. Itaque Propertius V. 2, 7 narrantem deum facit:

---

1) cf. Horat. Sat. I. 8, 1: Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.
2) cf. Ovidii Fast. III. 357—92.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
remorum auditos per vada pulsa sonos:
at postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.

Non est praetermittendum, poetam alio loco eiusdem rei mentionem facere (V. 9, 5): „qua Velabra suo stagnabant flumine quaque nauta per urbanas velificabat aquas“ [1]).

Quam rem Propertio notam fuisse quamquam verisimile est, tamen poterat uti Tibulli exemplo II. 5, 33:

at qua Velabri regio patet, ire solebat
exiguus pulsa per vada linter aqua.

Alterum veriloquium ductum est a tempore; nam anni vertentis fruges Vertumni sacrae habebantur:

Seu quia vertentis fructum praecepimus anni
Vertumni vulgus credidit esse sacrum.

Vertumno igitur primitiae frugum offeruntur, quae procreatae sunt annuis commutationibus. Quae enumerantur a poeta:

prima mihi variat liventibus uva racemis [2])
et coma lactenti spicea fruge tumet.
hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
cernis et aestivo mora rubere deo.

Simili forma utitur Vergilius Ge. II. 60:

et turpis avibus praedam fert uva racemos.

---

[1]) Conferantur hi loci cum Ovidii Fast. II. 391:
hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
quaque iacent valles, Maxime circe, tuae.
VI. 405: qua Velabra solent in Circum ducere pompas
nil praeter salices cassaque canna fuit.
saepe suburbanas rediens conviva per undas
cantat et ad nautas ebria verba iacit.
nondum conveniens diversis iste figuris
nomen ab averso ceperat amne deus.

[2]) Eadem fere verba inveniuntur et apud Ovidium:
Met. III. 482: aut ut variis solet uva racemis
ducere purpureum nondum natura colorem.
et apud Horatium c. II. 5, 10—12:
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

neque incredibile est, Propertium in hac descriptione ad Vergilium spectasse: nam ad ea quoque, quae sequuntur:

insitor hic solvit pomosa vota corona,
cum pirus invito stipite mala tulit,

Vergilii versus multum contulisse manifestum est, qui leguntur Ge. II. 32:

et saepe alterius ramos impune videmus
vertere in alterius, mutatamque insita mala
ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna.

Sed haec veriloquia e nomine conficta deus reicit; profitetur autem, nomen suum ex facultate sua formae mutandae ortum esse:

at mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
nomen ab eventu patria lingua dedit.

Nam in eius tutela sunt omnes hominum rationes agendi, imago eius tam ambigua est, ut omnes hominum species [1]) induere possit. Maxime autem mercatores fovere ac tueri putabatur; in vico enim Tusco cum mercatores tum maxime librarios tabernas collocavisse constat [2]). Quare deus de se iudicat:

Opportuna mea est cunctis natura figuris:
in quamcunque voles verte, decorus ero.

qui versus necessario referendi sunt ad Tibulli IV. 2, 13:

talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
mille habet ornatus, mille decenter habet.

Singula argumenta, quibus in descriptione varietatum dei utitur, poeta ex suo ingenio hausisse videtur; sed in sermone conformando saepius quin ad Tibullum e Vergilium

---

[1]) Horatius ambiguitatem dei revocat ad inconstantiam et mobilitatem animi et voluntatis; itaque dicit Sat. II. 7, 13:

iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
vivere, Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.

[2]) Nostra lingua eum „Wandelgott“ nominare possumus, atque etiam nos semper fere coniungimus: Handel und „Wandel“, quae sunt propria Vertumni.

sese applicaverit, dubium esse non potest. Ad locos, quos iam suprą attuli, hos addo:

Prop. 43: caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
me notat . . .
Verg. Ge. IV. 121: tortusque per herbam
cresceret in ventrem cucumis.
Pr. 44: et iunco brassica vincta levi
Tib. II. 3, 15: tum fiscella levi detexta est vimine iunci[1]).
Pr. 45: nec flos ullus hiat pratis quin ille decenter
impositus fronti langueat ante meae.
Tib. I. 1, 13: et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
libatum agricolae ponitur ante deo[2]).

---

[1]) cf. Copa 21: sunt et mora cruenta et lentis uva racemis
et pendens iunco caeruleus cucumis.

[2]) De Vertumno fabulam Ovidius in libro XIV Metamorphoseon quamquam multo suavius et elegantius narrat, cum deum amore Pomonae incensum ambiguitate usum omnes illas varias formas induentem faciat, ut amorem amatae Pomonae sibi conciliet, tamen exemplum Propertii multis locis secutus est. Appono illos locos, qui similitudinem atque imitationem exhibent:

Pr. 25: da falcem et torto frontem mihi comprime faeno:
iurabis nostra gramina secta manu.
Ov. Met. 645: tempora saepe gerens faeno religata recenti
desectum poterat gramen versasse videri.
649: falce data frondator erat.
Pr. 28: corbis in imposito pondere messor eram.
Ov. 643: o quotiens habitu duri messoris aristas
corbe tulit verique fuit messoris imago
Pr. 33: arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Ov. 651: piscator arundine sumpta.
Pr. 47: quod formas unus vertebar in omnes.
Ov. 685: formasque apte fingetur in omnes
765: formas deus aptus in omnes.

Sed etiam aliis locis Ovidius ad huius carminis sermonem accessisse videtur, velut:

Pr. 19: mendax fama noces, alius mihi nominis index,
de se narranti tu modo crede deo.

Sed hae orationis similitudines parvi ad nostram quaestionem momenti sunt; plus nostra interest didicisse, Propertium, quae de origine Vertumni narraverit, ex Varrone hausisse.

Cap. II.

De Tarpeia (c. 4.)

Quod Propertius in extrema parte carminis quarti enarrata complexus de nomine montis Tarpeii posuit:

a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus,

hoc breviter tradit Varro de l. l. V. 41: „Hic mons (sc. Capitolinus) ante Tarpeius dictus a virgine Vestale Tarpeia, quae ibi ab Sabinis necata armis et sepulta, quoius nominis monimentum relictum, quod etiam nunc eius rupes Tarpeium appellatur saxum". De causis autem, cur Tarpeia necata sit, Varronem, cum hic quidem nihil dicat, alio loco egisse coniciendum est. Nam de Tarpeiae casu ac fortuna vetus fabula circumferebatur: Tarpeiam, cupiditate auri incensam, Sabinis Capitolinum montem Tatio duce occupantibus arcem

---

Fast. V. 191: ipsa doce, quae sis: hominum sententia fallax:
optima tu proprii nominis auctor eris.

Pr. 31: cinge caput mitra, speciem furabor Jacchi:
furabor Phoebi, si modo plectra dabis.

Ov. Ep. Sapph. 23: sume fidem et pharetram: fies manifestus Apollo:
accedant capiti cornua: Bacchus eris.

Pr. 50: unde hodie vicus nomina Tuscus habet
Fast. III. 246: qui nunc Esquilias nomina collis habet.

Pr. 52: Atque Sabina feri contudit arma Tati
Fast. IV. 379: perfida magnanimi contudit arma Jubae.
VI 361: iamque suburbanos Etruscaque contudit arma.

Pr. 54: Atque hostes turpi terga dedisse fugae
Fast. VI. 522: turpia femineae terga dedere fugae.

se proditaram esse promisisse, si pro hoc facinore acciperet omnia, quae in sinistris manibus haberent, i. e. aureas armillas et anulos; postea autem arce occupata Sabinos mercedis loco illam scutis obrutam interfecisse, cum dicerent, ea esse quae sinistris ferrent. Hunc fere in modum refertur fabula ab omnibus qui in ea studium posuerunt, a Dionysio, Livio, Plutarcho, Valerio Maximo, aliis [1]), singulis rebus tantum inter se dissentientibus. Copiosissime autem in ea versatur Dionysius; hic enim addidit longae de Tarpeia narrationi, quam ex Fabio et Cincio se hausisse profitetur, qua ratione Piso facinus Tarpeiae ut laudibus celebraret enixus esset. Docet autem Piso, Tarpeiam illam condicionem ferentem non de auro, sed de armis proferendis cogitasse, ut Sabinos inermes Romulo traderet. Inde elucet, Augusti temporibus duplicem fabulae memoriam exstitisse. Itaque non mirum est, etiam Propertium ausum esse, a vulgari fabula deflectere.

Atque ratio qua fabulam conformavit prorsus consentit cum eius ingenio atque indole. Confingit enim poeta, Tar-

[1]) In Ennii fragmentis quamquam ne nomen quidem Tarpeiae invenimus, tamen quin ille princeps poeseos Romanae fabulam explicaverit, dubium esse non potest, praesertim cum pugnam inter Tatium et Romulum ab eo enarratam esse (cf. fr. 65. p. 17 ed. Vahlen) certe sciamus. Quae autem Krahnerus (Gymn. Progr. Friedland 1858) Ennii fragmenta ad Tarpeiam pertinere coniecerit, non omnia probari posse puto. Solum fr. 64. cum aliqua veritatis specie ad Tarpeiam refertur:

Cum superum lumen nox intempesta teneret,

quocum versu componenda sunt et Propertii verba V. 4, 85 „omnia praebebant somnos“ et Ovidii Met. XIV. 729: „et corpora victa sopore invadunt“. Recte autem Vahlenus fragmentis incertae sedis illud attribuit (VI. p. 67): „iam cata signa fere sonitum dare voce parabant“. Nam similitudo Propertiani versus (81): „vocales occupat ense canes“ non satis causae praebet, cur illum Ennii versum ad Tarpeiae fabulam pertinere credamus. Neque hoc Krahnerus recte iudicare videtur, quod sentit, illis verbis (fr. I. 30): „accipe daque fidem foedusque feri bene firmum“ foedus Tatii et Tarpeiae designari. Nihil enim conferunt ad haec Dionysii verba II. 38: *λαβοῦσα τὰς πίστεις δι' ὅρκων παρ' αὐτοῦ καὶ αὐτὴ δοῦσα τοῦ μὴ ψεύδεσθαι τὰς ὁμολογίας* etc., quae cum nihil nisi usitatam et tritissimam elocutionem praebeant, non ex Ennio desumenda erant.

peiam Vestalem cum aliquando domo decessisset, ut aquam ex fonte hauriret, Tatio rege conspecto amore et cupiditate eius exarsisse atque tantum amori in hostem tribuisse, ut patriae ac deae fide violata arcem proderet, sperans, fore ut uxor regis fieret; a Tatio autem in arcem recepto interfectam eam esse.

Tali modo Propertium primum fabulam Tarpeiae instituisse atque conformasse, omnes consentiunt. Tamen supervacaneum non videtur, quaestionem pertractare, unde consilium atque effigiem fabulae commutandae hauserit. Recte autem Niebuhrius posuisse videtur (Röm. Gesch. I. 253): „Die Dichtung des Propertius ist eine von keiner Sage berechtigte Übertragung der Skylla von Megara". Ad hanc sententiam eo magis adducor, quoniam poeta in hoc ipso carmine Scyllae mentionem facit:

39: quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
candidaque in saevos inguina versa canes [1]).

Plurimum autem adiuvatur Niebuhrii sententia ratione perspecta, qua Ovidius narrationem de Scylla, Nisi filia,

[1]) Manifestum est Propertium hoc loco Vergilium imitari. Ecl. VI. 74:
quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis.
Conferantur praeterea Lygdami 4, 89:
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram
et Ovidii Fast. IV. 500:
effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdis,
et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes
et Am. III. 12, 21:
per nos Scylla patri canos furata capillos
pube premit rabidos inguinibusque canes.
et Metam. XIV. 60:
Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
cum sua foedari latrantibus inguina monstris
aspicit.
Eadem de fabula loquitur Propertius IV. 19, 21:
Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura,
tondens purpurea regna paterna coma etc.

Metamorphoseon libro VIII comparaverit. Mirum enim in modum Ovidii et Propertii carmina conspirare videmus. Quod quo facilius intellegatur, illa carmina de Tarpeia et de Scylla componere mihi liceat.

Atque Tarpeia egressa, ut facere solet, ad fontem, ut aquam hauriat, procul Tatium regem conspicit, obstupefacta regis dignitate ac decore:

vidit arenosis Tatium proludere campis
pictaque per flavas arma levare iubas.
obstupuit regis facie et regalibus armis
interque oblitas excidit urna manus.

Neque aliter Ovidius Scyllam in murum ascendentem ac de superiore loco admirantem imperatoris hostilis faciem inducit, quamquam uberius atque elegantius Minois speciem describit:

v. 23—36: noverat ante alios faciem ducis Europaei,
plus etiam, quam nosse sat est. Hac iudice Minos,
seu caput abdiderat cristata casside pennis,
in galea formosus erat......
....purpureusque albi stratis insignia pictis
terga premebat equi spumantiaque ora regebat,
vix sua, vix sanae virgo Niseïa compos
mentis erat.

Amore vehementissimo capta utraque conqueritur de sua fortuna ac casu, utraque deliberat, utrum patriae fidem servet an cupiditati suae pareat. Itaque utramque virginem fere eundem ordinem sententiarum sequi par esse videtur:

Prop. 25: saepe tulit blandis argentea lilia nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati.

Ov. 64: nam metuam certe, ne quis tua pectora, Minos,
vulneret imprudens.

Prop. 56: dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Ov. 67: coepta placent: et stat sententia, tradere mecum
dotalem patriam, finemque imponere bello.[1])

---

[1]) cf. Prop. IV. 19, 23: hanc igitur dotem virgo desponderat hosti.

Utrique autem querenti nox intervenit:

Prop. 67: dixit, et incerto permisit bracchia somno,
nescia vae furiis accubuisse novis.
nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
culpam alit et plures condit in ossa faces.

Ov. 81: Talia dicenti curarum maxima nutrix
nox intervenit, tenebrisque audacia crevit.

Pr. 85: omnia praebebant somnos.

Ov. 83: prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
pectora somnus habet.

Scelere commisso, utraque, postquam adiit ducem, ut dulcem mercedem proditionis accipiat, ab illo morti obicitur.

Quibus in fabulis explicandis Ovidium et Propertium congruere, nemo negabit. Itaque nostrum est quaerere, unde illa mira similitudo orta sit. Quamquam singulis locis Ovidium Propertii exemplo usum esse mihi persuasum est, tamen, cum aequalitas maxime in lineamentis, ut ita dicam, carminum posita sit, Ovidium et Propertium eodem ex fonte hausisse coniciendum est. Puto igitur, Propertium in Tarpeiae fabula conformanda ad eum auctorem accessisse, a quo Ovidius narrationem Scyllae sceleris repetierit.

Sed difficillima est de hoc communi auctore quaestio. Hoc sane inter omnes constat, Ovidium in Metamorphoseon libris conscribendis Alexandrinorum poetarum aemulum fuisse; atque huius carminis argumentum ex Parthenii narrationibus amatoriis eum repetivisse communis opinio fert. Cum autem, quantum Ovidius ex eo pendeat, in summa reliquiarum penuria cognosci non possit, nihil inde in quaestione nostra dirimenda proficimus [1]). Plus loci, ubi consistamus, nobis praebet Callimachus, quem de Scylla fabulam tractavisse duobus quae supersunt fragmentis docemur. Nam fr. 184: „*Σκύλλα γυνὴ κατάκασσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα*“ ad Scyllam Nisi referen-

[1]) Pseudo-Vergilii carmen, quod „Ciris“ inscribitur, Parthenio auctore conditum esse Heynius postquam coniecit, probabilissimis causis demonstravit Rohdius (der griech. Roman p. 93, A. 3.)

dum esse, etiam Naekius (Opp. II., p. 63) concedit: „bene inquit, dicitur *κατάκασσα* Scylla Nisi quae sua libidine patrem perdidit ac prodidit". Alterum fragmen, quod apud Suidam invenitur: „*πορφυρέην ἤμησε κρέκα*" plus confert ad quaestionem nostram, cum haec verba Propertio exemplo fuisse IV. 19, 22:

„tondens purpurea regna paterna coma"

facile intellegatur. Tamen non audeam, hac similitudine nixus, certe statuere, Callimachum illum fuisse, ad quem poetae Romani sese applicaverint. Sed utut est, satis habemus didicisse, Propertium, cum a fabula de Tarpeia vulgata recederet, argumentum ex Scyllae exemplo Graeco conformavisse.

Sunt autem, qui Propertii carmen revocaverint ad illam Nanidis fabulam a Parthenio in narrationibus amatoriis traditam (cf. Hermesianactis fr. ed. Bach p. 184):

Περὶ Νανίδος. Ἡ ἱστορία παρὰ Λικυμνίῳ τῷ Χίῳ μελοποιῷ καὶ Ἑρμησιάνακτι.

Ἔφασαν δέ τινες καὶ τὴν Σαρδίων ἀκρόπολιν ἀπὸ Κύρου τοῦ Περσῶν βασιλέως ἁλῶναι, προδούσης τῆς Κροίσου θυγατρὸς Νανίδος. ἐπειδὴ γὰρ ἐπολιόρκει Σάρδεις Κῦρος καὶ οὐδὲν αὐτῷ εἰς ἅλωσιν τῆς πόλεως προὔβαινεν, ἐν πολλῷ τε δέει ἦν μὴ ἀθροισθὲν τὸ συμμαχικὸν αὐτῆς τῷ Κροίσῳ διαλύσειεν αὐτῷ τὴν στρατιάν, τότε τὴν παρθένον ταύτην εἶχε λόγος περὶ προδοσίας συνθεμένην τῷ Κύρῳ εἰ κατὰ νόμους Περσῶν ἕξει γυναῖκα αὐτήν, κατὰ τὴν ἄκραν, μηδενὸς φυλάσσοντος δι' ὀχυρότητα τοῦ χωρίου, εἰςδέχεσθαι τοὺς πολεμίους συνεργῶν αὐτῇ καὶ ἄλλων τινῶν γενομένων. τὸν μέντοι Κῦρον μὴ ἐμπεδῶσθαι αὐτῇ τὴν ὑπόσχεσιν.

Sed quamquam non dubium est, quin etiam haec narratio Propertii carmini similis sit, tamen ea non ita comparata est, ut poetam Romanum certo studio eam adhibuisse demonstrari possit. Atque aliae quoque fabulae facile cum Tarpeia Propertiana componi possunt; nam tales fabulas, quibus virgo aliqua amore ducis hostium incensa de fide patriae atque officio decedat, fere omnes populos tenere

scimus; neque praetereundum est, hoc fabularum genus a poetis summo studio tractari[1]).

Attamen de Tarpeia talem fabulam ante Propertium non exstitisse supra demonstravi; ad posterioris sive eiusdem aetatis scriptorem quendam Propertii narratio fortasse valuit; ex Plutarcho enim discimus, Simylum[2]) narrationem conturbatam de Tarpeia instituisse, qua Propertii exemplum eum sibi proposuisse verisimile est. Recte iudicat Plutarchus (Rom. v. XVII. 5) *Σιμύλος δ' ὁ ποιητὴς καὶ παντάπασι ληρεῖ μὴ Σαβίνοις οἰόμενος, ἀλλὰ Κελτοῖς τὴν Ταρπηΐαν προδοῦναι τὸ Καπιτώλιον ἐρασθεῖσαν αὐτῶν τοῦ βασιλέως. Λέγει δὲ ταῦτα:*

Ἡ δ' ἀγχοῦ Τάρπεια παραὶ Καπιτώλιον αἶπος
ναίουσα Ῥώμης ἔπλετο τειχολέτις,
Κελτῶν ἣ στέρξασα γαμήλια λέκτρα γενέσθαι
σκηπτούχῳ πατέρων οὐκ ἐφύλαξε δόμους.

Καὶ μετ' ὀλίγα περὶ τῆς τελευτῆς:

Τὴν δ' οὔτᾶρ Βοΐοί τε καὶ ἔθνεα μυρία Κελτῶν
χηράμενοι ῥείθρων ἐντὸς ἔθεντο Πάδου.
ὅπλα δ' ἐπιπροβαλόντες ἀρειμανέων ἀπὸ χειρῶν
κούρῃ ἐπὶ στυγερῇ κόσμον ἔθεντο φόνον.

Haec sunt, quae habeam de origine et ratione ipsius fabulae: venio nunc ad singula persequenda. Qua in re id maxime cognosci potest, Propertium ex vulgata fabula ea elegisse ac retinuisse, quae cum sua ratione consentirent. Ita ad usum suum convertit, quod Tarpeia Vestae deae sacerdos fuisse memoriae tradebatur. Huius rei non omnes auctores mentionem faciunt. Atque poeta hac re ad Varronem respexisse videtur, qui Tarpeium montem a virgine Vestali Tarpeia dictum esse scripsit, ut iam supra docui. Quam Varronis sententiam ex communi de virgine opinione redun-

---

[1]) Etiam ex nostris litterarum monumentis exempli causa proferre possumus Schilleri nostri fabulam: „Die Jungfrau von Orleans."

[2]) Hunc poetam Augusteo saeculo vix superiorem esse suspicatur Meineke Hist. crit. comic. poett. praef. p. XV.

dasse, fortasse ex Plutarchi narratione demonstrari potest. Hic enim, quamquam consentiens cum reliquis auctoribus[1]) Vestae sacra a Numa rege condita esse narrat, tamen inter primas sacerdotes Tarpeiae nomen profert (IX. 25): *Νομᾶ γὰρ δὴ καὶ τὴν τῶν Ἑστιάδων παρθένων καθιέρωσιν καὶ ὅλως τὴν περὶ τὸ πῦρ τὸ ἀθάνατον, ὃ φυλάττουσιν αὗται, θεραπείαν τε καὶ τιμὴν ἀποδιδόασιν, εἴτε ὡς καθαρὰν καὶ ἄφθαρτον τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν ἀκηράτοις καὶ ἀμιάντοις παρατιθέμενον σώμασιν, εἴτε τὸ ἄκαρπον καὶ ἄγονον τῇ παρθενίᾳ συνοικειοῦντος* et (c. X.) *πρῶτον μὲν οὖν ὑπὸ Νομᾶ καθιερωθῆναι λέγουσι Γεγανίαν καὶ Βερηνίαν, δεύτερον δὲ Κανουληΐαν καὶ Ταρπηΐαν.* Scriptor igitur Graecus coniunxit talia nomina, quae Vestalium esse communis opinio ferebat, temporum ratione neglecta, atque hoc ipsum testimonio est, Tarpeiam virginem ab omnibus Vestae sacerdotem existimatam esse.

Atque Tarpeiam, sacerdotis munere quae fungatur, aquam haurientem poeta facit:

Tarpeia deae fontem libavit: at illi
urgebat medium fictilis urna caput[2])

quos versus ad Livii narrationem (I. 11, 6): „aquam forte ea tum sacris extra moenia petitum ierat“ redire ut existimem facile adducor, praesertim cum iter Tarpeiae ad aquam hauriendam a nullo nisi a Livio et Propertio commemoretur.

De tempore proditionis Propertius uberius disserens (v. 73—80) arcem Capitolinam Palilibus a Sabinis occupatam esse narrat. Qua in re suum ipsius ingenium secutus fortasse propterea illum festum diem elegit, quod omnium Propertii

---

[1]) cf. Preller, Roemische Mythologie[3] II. p. 165: Die Einsetzung der Vestalinnen wird einstimmig dem Könige Numa zugeschrieben.

[2]) cf. Ovid. Fast. III. 11:

Silvia Vestalis — quid enim vetat inde moveri? —
sacra lavaturas mane petebat aquas.
ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
ponitur e summa fictilis urna coma.

temporibus celeberrimus erat; nam etiam Dionysius tradit I. 57: *ταύτην δὲ εἰς ἐμὲ τὴν ἡμέραν Ῥωμαίων ἡ πόλις ἑορτῶν οὐδεμιᾶς ἥττονα τιθεμένη, καθ' ἕκαστον ἔτος ἄγει, καλοῦσα Παρίλια.* neque omittendum est, hunc festum diem a Tibullo quoque c. II. 5 maximis laudibus celebrari. Atque cum Propertius Palilia ita describit:

annua pastorum convivia, lusus in urbe,
cum pagana madent fercula deliciis
cumque super raros faeni flammantis acervos
traicit immundos ebria turba pedes

accedere videtur ad Tibulli v. II. 5, 89:

ille levis stipulae solemnis potus acervos
accendet, flammas transilietque sacras[1]).

Congruunt cum his poetis et Dionysius I. 88: *Ῥωμύλος . . . πυρκαϊὰς πρὸ τῶν σκηνῶν γενέσθαι κελεύσας ἐξάγει τὸν λεὼν τὰς φλόγας ὑπερθρώσκοντα τῆς ὁσιώσεως τῶν μιασμάτων ἕνεκα* et Probus ad Verg. Ge. III. 1: „Pales dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia transposita littera, quae si suo loco esset, potius Palilia dicerentur, qui dies natalis est urbis Romae quae a pastoribus est condita. Huius autem cuius deae esset etiam ritus declarat. Nam et ignes transiliunt, accensis stramentis more agresti, ibi hunc diem colentes, lacte bibant, qui fructus ex pecore tollitur". Utrumque ex Varrone pendere verisimile est[2]). Quod autem Propertius maiore vi et gravitate profert, Parilia diem natalem urbis Romae esse:

urbi festus erat — dixere Palilia patres
hic primus coepit moenibus esse — dies

---

[1]) cf. Ovid. Fast. IV. 781:
moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos
traicias celeri strenua membra pede.

[2]) cf. Huelsen, Varronianae doctrinae quaenam in Ovidii Fastis vestigia exstent. p. 44.

[3]) cf. Ovid. Met. 14, 774: festisque Palilibus urbis
moenia conduntur.

hoc ex quo desumpserit, quaerere opus esse non videtur; nam omnes auctores in hac re inter se conspirant. Luculentissime illud praedicat Festus, cuius testimonium per Verrium Flaccum ad Varronem redire iam scimus (pag. 237 ed. Müller): „Parilibus urbem condidit Romulus quem diem festum praecipue habebant iuniores.“ Ex Varrone hausit etiam Cicero de divin. II, 98: „Lucius quidem Tarutius Firmanus in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus quibus eam a Romulo conditam accepimus“. Neque vero neglegendum est, quod Plutarchus exhibet in vita Romuli XII, 5: *ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες . . . . . οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς κτίσεως βοτηρική τις ἦν αὐτοῖς ἑορτὴ κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν καὶ Παρίλια προςηγόρευον αὐτήν.*

De loco quoque, in quo Sabini castra posuerant, poeta nonnulla profert, quae posita sunt in certo studio auctorum. Collatis enim eis, quae Plutarchus (vit. Romul. c. XVIII) habet, cum Propertii descriptione, apparet poetam eundem librum adiisse, ex quo etiam ille scriptor hausisse videtur. Graecus enim scriptor haec exhibet: *ὁ γὰρ μεταξὺ τόπος, ἐν ᾧ συμπίπτειν ἔμελλον, ὑπὸ πολλῶν λόφων περιεχόμενος* — cf. Propertii verba v. 13 „murus erant montes“ — *ἀγῶνα μὲν ὀξὺν ἐδόκει καὶ χαλεπὸν ὑπὸ δυςχωρίας ἀμφοτέροις παρέξειν, φυγὰς δὲ καὶ διώξεις ἐν στενῷ βραχείας. Ἔτυχε δὲ τοῦ ποταμοῦ λιμνάσαντος οὐ πολλαῖς πρότερον ἡμέραις ἐγκαταλελεῖφθαι τέλμα βαθὺ καὶ τυφλὸν ἐν τόποις ἐπιπέδοις κατὰ τὴν νῦν οὖσαν ἀγοράν.* — cf. Propert.:

Fast. IV. 801: num tamen est vero propius, cum condita Roma est,
transferri iussos in nova tecta Lares
mutantesque domum tectis agrestibus ignem
et cessaturae supposuisse casae;
per flammas saluisse pecus, saluisse colonos?
quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.

11: atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
stabant Romano pila Sabina foro. —

ὅθεν οὐκ ἦν ὄψει πρόδηλον οὐδ' εὐφύλακτον, ἄλλως δὲ χαλεπὸν καὶ ὕπουλον. cf. Prop.:

49: lubrica tota via est et perfida: quippe tacentes
fallaci celat limite semper aquas.

Graeci scriptoris ratione penitus perspecta quin ille communis fons, ad quem Plutarchus aeque ac Propertius referendus sit, in Varronis libris sit, vix dubitandum est.

Ad Propertianam loci descriptionem fortasse aliquid valuit Vergilii Aen. VIII. 347:

hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis;

nam etiam Propertius regionem asperam et horridam esse narrat. Itaque Tarpeia

28: „rettulit hirsutis bracchia secta rubis"

ab itinere; et ipsa optat, ut sibi liceat Tatium monere:

48: „tu cave spinosi rorida terga iugi".

Atque eis, quae de morte Tarpeiae narrat poeta:

89: at Tatius — neque enim sceleri dedit hostis honorem —
„nube", ait, „et regni scande cubile mei."
dixit et ingestis comitum super obruit armis.

eum maxime ad Livium accedere quod memoretur dignum est: nam etiam hic scriptor addit, Tatium regem virginem necavisse, ut se proditionem omnino non probare significaret (I. 11, 6): „accepti obrutam armis necavere, seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset." Similia tradit Plutarchus. [1])

Haec sunt, quae statuenda videantur de fontibus Propertii in argumento fabulae conformando; addo duos locos, quibus elocutionem Horatii et Tibulli poetam imitatum esse elucet. Nam v. 17:

et satis una malae potuit mors esse puellae

ex Horatii exemplo conscriptus videtur esse Carm. III. 27, 37:

---

[1]) cf. v. Rom. XVII. 19.

Levis una mors est
virginum culpae.

quocum conferatur Sophoclis Antigone v. 308: *Οὐχ ὑμῖν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει.*

v. 23: Saepe illa immeritae causata est omina lunae

Propertium secutum esse Tibulli exemplum apparet I. 3, 17:

aut ego sum causatus aves aut omina dira.

Quae imitatio eo magis perspicua est, quod verbum „causandi“ tantum his Tibulli et Propertii locis ea vi, quam habet graecum verbum: „*προφασίζεσθαι*“ usurpatur; aliter res se habet Horat. Epist. I. 14, 12:

„stultus uterque locum immeritum causatur inique“

ubi „causatur“ idem est quod „incusat“.

Cap. III.

De Hercule. (c. IX.)

Propertius cum narrat carmine nono, quae Herculi acciderint in Italiam ingresso cum bovibus Geryonis ex Erythea abactis, consentit cum eis omnibus, qui Herculem deum eiusque sacra a Graecis repetita esse putant. Hanc sententiam, quam a Graecis ipsis inductam esse Niebuhrius recte iudicavit, cum alii explicaverunt, tum maxime T. Livius I. 7, 15: „haec tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit“. Tamen vulgarem opinionem egressi grammatici Herculem eundem esse ac Sancum, quem deum Sabini maxime venerabantur, cognoverant. Varro igitur de l. l. V. 66 docuit: „Aelius Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Graeci *Διόσκορον* Castorem, et putabat hunc esse Sancum ab Sabina lingua, et Herculem a Graeca“. Ad Varronem redire videtur, quod Festus tradit p. 229: „Propter viam fit sacrificium quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet

idem est deus." Hanc doctrinam Propertium non fugisse ex peroratione carminis elucet, qua praedicat de Hercule:

73. hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

Toto reliquo carmine de Hercule fabulas — coniungit enim duas, quarum una tractatur pugna cum Caco latrone et consecratio fori Boarii, altera Herculis certamen cum Bonae Deae sacerdote et condita Ara Maxima — depingit magna quidem ex parte ita, ut eas acceperat. Plures autem prioris partis auctores ei in promptu erant: nam pugnam Herculis cum Caco ab aliis quoque scriptoribus, qui Augusti aetate floruerunt, narratam esse scimus. Cuinam est ignota Vergilii admirabilis et elegans et copiosa explicatio illius pugnae, cuinam Livii narratio, et ipsa poeticis coloribus exornata? Quorum cum Propertio[1]) tanta similitudo est, ut ad eos quin accesserit non dubium sit; quamquam hoc minime neglegendum est, in similitudine argumenti saepius positam esse aequalitatem sermonis.

Sed iam Livium audiamus, qui hoc modo narrationem instituit (I. 7, 4): „Herculem in ea loca (sc. Palatium) Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant ac prope Tiberim fluvium . . . loco herbido ut quiete et pabulo laetiore reficeret boves, et ipsum fessum, via procubuisse."

Eodem modo Propertium initium facere videmus:

1. Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
venit ad eductos pecorosa Palatia montes
et statuit fessos, fessus et ipse, boves.[2])

---

[1]) Adde Ovidii narrationem de Hercule (fast. I. 547—586) consentientem cum Vergilio, Propertio; ex qua ad Livium quoque nonnullos locos revocandos esse demonstravit Schenkelius (Zeitschr. f. oestreich. Gymn. 1860 p. 401).

[2]) cf. Dionys. Hal. I. 39: *εὑρὼν δὲ πόαν ἐν αὐτῷ βουκολίδα πολλὴν καὶ καλήν, τὰς μὲν βόας ἀνῆκεν εἰς ἐκνομήν, αὐτὸς δὲ βαρυνόμενος ὑπὸ κόπου κατακλιθεὶς ἔδωκεν αὑτὸν ὕπνῳ.*

De Caco tradit Livius: „pastor accola eius loci nomine Cacus, ferox viribus". Similiter Propertius:

incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro.

Quod scriptor historicus de scelere ipso narrat: „aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit" eundem in modum explicat poeta:

11: hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
aversos cauda traxit in antra boves.

Ex his quam artum vinculum intercedat inter Livium et Propertium apparet. Jam igitur, eis additis, quae Propertius de Tarpeiae fabula ex Livio deprompsisse videtur, dubium esse non potest, quin Propertius priores libros Livii non solum cognoverit, sed etiam eorum in studium incubuerit.[1])

Quo autem dolo Cacus usus sit, ut furtum obtegeret, eisdem fere verbis quibus Livius et Propertius, describunt et Vergilius Aen. VIII. 209:

atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
cauda in speluncam tractos versisque viarum
indiciis raptos saxo occultabat opaco.

et Ovidius Fast I. 150:

traxerat aversos Cacus in antra ferox.

Nonne igitur hac constantia atque consensione satis demonstratur, illos scriptores artissime inter se cohaerere? Haec opinio etiam adiuvatur similitudine, quae inter eos intercedit in ferocitate Caci describenda; pariter enim — Livius solus hoc omittit — eum semiferum et flammas evomentem inducunt:

Vergil. VIII. 198: illius atros
ore vomens ignis magna se mole ferebat.

Propert. 10: per tria partitos qui dabat ora focos.

Ovid. Fast. I. 752: et flammas ore sonante vomit.

---

[1]) A nostra suspicione minime dissentiunt temporum rationes; nam partes operis sui singillatim edidisse Livium primamque partem inter 727 et 729 a. u. in lucem protulisse constat: Propertium carmina Romana supremis vitae annis pepigisse — occubuit autem mortem f. a. 739 — iam supra statuimus.

Itaque equidem eos ad fontem antiquiorem redire conicio, quamquam eum ipsum indicare non habeo.[1])

Attamen multi loci restant, quibus Propertius a sodalibus dissentit. Hoc quidem est nullius momenti, quod foedissimum illud monstrum tribus capitibus praeditum esse dicit:

v. 10: per tria partitos qui dabat ora focos

et v. 15: Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo.

Quod ipsum confinxisse verisimile est, adductum sive exemplo Geryonis tricipitis — illi enim Hercules boves eripuerat, ut ait Vergilius VIII. 202:

„tergemini nece Geryonae spoliisque superbus" —

sive vicinia Portae Trigeminae, prope quam inter Herculem et Cacum pugnatum erat.

Multo gravius est, a Propertio nullam mentionem fieri eius, quem apud omnes scriptores quasi primas partes tenere videmus, dico Euandrum. Hunc enim Herculem comiter accepisse, Caco interfecto summis laudibus extulisse, Herculis honoribus Aram Maximam condidisse, conditam Potitiis ac Pinariis conservandam tradidisse, ex Vergilio et Livio cognosci potest.[2]) Tantum autem abest, ut Propertius Euandrum introducat, ut contra pro Euandro Cacum illum semihominem cum Hercule hospitio coniunctum fuisse narret:

7. sed non infido manserunt hospite Caco
incolumes: furto polluit ille Jovem.

Unde poeta hanc miram commutationem fabulae vulgaris hauserit, quaestio est sane difficilis. Sed cavendum est, ne componamus cum Propertio Diodori Siculi IV. 21: *Κάκιος καὶ Πινάριος ἐδέξαντο τὸν Ἡρακλέα ξενίοις ἀξιολόγοις καὶ δωρεαῖς κεχαρισμέναις ἐτίμησαν*, cum Cacus hic Potitii loco inductus Herculem benigne ac comiter recipiat.

---

[1]) Haud nescio an Merkelius (Ovidii Fast. Praefat. p. 82) recte iudicaverit, Ennium Ovidio Herculis fabulam narranti exemplo fuisse.

[2]) Alii docent Herculem ipsum sui honoris causa Aram Maximam constituisse eamque Potitiis et Pinariis in aeternum tradidisse, cf. Festus p. 237: „Potitium et Pinarium Hercules cum ad aram quae hodieque maxima appellatur, decimam bovum quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam, profanasset, genus sacrifici edocuit" etc.

Plus pertinere videtur ad nostram quaestionem, quod Servius refert ad. Aen. VIII. 190: „Veritas tamen secundum philologos et historicos hoc habet, hunc sc. Cacum fuisse Evandri nequissimum servum ac furem“.[1]) Nam Propertio, si „philologos et historicos“ secutus Cacum in domesticis Euandri hominibus numerabat, licebat dicere, Cacum hospitium, quod erat inter patrem familias et Herculem, violasse. Tamen hac quoque interpretatione difficultas non tollitur; nam cum Propertius narrationem instituat:

„Incola Cacus erat“

satis dilucide significat, se Euandrum neglegere velle. Sed accedit alia res, qua dissentit a ceteris auctoribus. Quamquam enim fama antiqua eademque vulgaris erat, Herculem Caco interfecto Aram Maximam constituisse, poeta hic quidem huius famae oblitus[2]) Herculem post caedem latronis boves dimittentem forum Boarium ab iis appellasse et sanxisse exponit:

v. 16: et Alcides sic ait: ite boves,[3])
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves,
arvaque mugitu sancite boaria longo:
nobile erit Romae pascua vestra forum.

Quae narrationis peroratio opportuna quidem sed prorsus

---

1) cf. Aurelius Victor de orig. gent. Rom. c. VI: „Cacus Euandri servus nequitiae versutus et praeter cetera furacissimus Recarani hospitis boves subripuit“ etc.

2) Alio loco alioque sententiarum connexu poeta arae constitutae reminiscens de ea praedicat:

67: maxima quae gregibus devota est ara repertis,
ara per has, inquit, maxima facta manus.

cf. Verg. Aen. VIII. 271:

hanc aram luco statuit, quae maxima semper
dicetur nobis, et erit quae maxima semper.

3) cf. Verg. Ecl. VII. 44:

ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

aliena est ab aliis scriptoribus.[1]) Cum autem nulla fabulae forma exstet, qua Euandri et Arae constitutae mentio non fiat, Propertii ratio potius in compositione carminis quam in auctoritate alicuius scriptoris posita esse videtur. Puto igitur, poetam cum alteri carminis parti maius pondus attribueret, priorem partem tantum quasi exordii loco tractavisse, non neglegentem, quae ex Vergilio et Livio in animo haererent.

Atque altera carminis parte Propertius refert Herculem laboribus corporis confectum et acriter sitientem domum quandam adiisse, in qua virgines ridentes procul audivisset. quae domus cum esset templum Bonae Deae, a sacerdote in domum viris interdictam introire eum vetitum esse; tum Herculem domo deleta siti satisfecisse et Aram a se conditam in aeternum mulieribus interdicendam esse constituisse.

Ad huius fabulae auctorem exquirendum multum faciunt, quae exhibet Macrobius (Saturn. I. 12): „Haec apud Graecos ἡ θεὸς γυναικεία dicitur quam Varro filiam esse tradidit adeo pudicam, ut extra γυναικωνῖτιν nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit nec a viro visa sit, propter quod nec vir templum eius ingreditur. Unde et mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quia Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiae duceret, sitienti respondit mulier, aquam se non posse praestare, quod feminarum deae celebraretur dies nec

---

[1]) Varro docet de l. l. V. 146: „Ubi quid generatim, additum ab eo cognomen, ut forum boarium". Itaque tradit Festus p. 30: „Boarium forum Romae dicebatur quod ibi venderentur boves", Alios revocare nomen fori Boarii ad signum aeneum, quod in foro positum erat, inter omnes constat. cf. Tacitus Ann. XII. 24: a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. cf. Ovid. Fast. VI. 478:

pontibus et magno iuncta est celeberrima circo
area, quae posito de bove nomen habet.

I. 581: constituitque sibi, quae maxima dicitur, aram,
hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

ex eo apparatu viris gustare fas esset, propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est praesentiam feminarum et Potitio ac Pinario sacrorum custodibus iussit, ne mulieres interesse permitterent". Totum hunc locum, omnino cum Propertii descriptione conspirantem, redire ad Cornelium Labeonem, ex Macrobio ipso elucet, quippe qui eius nomen paulo ante laudaverit[1]): „Auctor est Cornelius Labeo, huic Maiae aedem Kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonae Deae, et eandem esse Bonam Deam et terram, ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat". Quo autem ex fonte Labeo hauserit, dubitandum non erit, collatis eis quae Plutarchus de Bona Dea tradidit (Caes. v. 9): *ἔστι δὲ τοῖς Ῥωμαίοις θεὸς ἣν Ἀγαθὴν ὀνομάζουσιν, ὥσπερ Ἕλληνες γυναικείην . . . ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις οὐδ' ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων* et Quaest. Rom. c. 20: *Διὰ τί τῇ γυναικείᾳ θεῷ ἣν ἀγαθὴν καλοῦσιν . . . . . οὐ μόνον ἐξοικίζουσι τοὺς ἄνδρας ἀλλὰ καὶ πᾶν ἄρρεν ἐξελαύνουσι τῆς οἰκίας ὅταν τὰ νενομισμένα τῇ θεῷ ποιῶσι.*

Vides quam arte coniuncti sint et rebus et verbis Plutarchus et Labeo. Illum autem, quae de institutis ac moribus Romanorum tradiderit, ex Varrone repetivisse, saepius demonstratum est.[2]) Huc accedit, quod a Lactantio certissime docemur, Varronem de Bonae Deae fama disseruisse (Institut. div. I. 22): „Eandem (sc. Faunam) Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam quoad vixerit praeter virum suum mas viderit, nec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant et Bonam Deam nominant".

Cum igitur omnia illa reputantibus nobis dubitandum non sit, quin illi scriptores ex Varrone quasi ex fonte hauserint, nonne etiam manifestum est, Propertium fabulam ex

---

[1]) cf. Wissowa De Macrobii Saturnaliorum fontibus p. 42.

[2]) cf. Barth, De Jubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in Quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque. Diss. inaug. Gotting. 1876. p. 20.

Varrone deprompsisse? Quid, ut exemplum afferam, Propertii v. 25:

femineae loca clausa deae

est aliud nisi Plutarchi: *θεὸς γυναικείη*?

Tamen poetam argumentum ex Varrone petitum de suo poeticis, ut ita dicam, coloribus exornasse quis miretur?[1]) In oratione quidem conformanda saepius, ut fere solet, Vergilium ac Tibullum, quippe quorum carmina penitus animo complexus esset, secutus est. Ut hoc demonstremus, satis habemus, eos locos apponere, quibus illos eum imitatum esse fortasse conicere licet:

Pr. 26: impune et nullis sacra retecta viris.
Tib. I. 6, 22: sacra bonae maribus non adeunda deae.

Pr. 38: ille ego sum — Alciden terra recepta vocat.
Tib. I. 6, 31: ille ego sum — nec me iam dicere vera pudebit.

Pr. 53: Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo
Tib. I. 2, 33: parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
obvia: celari vult sua furta Venus.
cf. Verg. VI. 258: procul o, procul este, profani,
conclamat vates, totoque absistite luco.

Pr. 45: sin aliquam vultusque meus saetaeque leonis — terrent.
Verg. VIII. 266: terribilis oculos, voltum villosaque saetis
pectora semiferi.

---

[1]) v. 57/58: magno Tiresias adspexit Pallada vates,
fortia dum posita Gorgone membra lavat,
sese ad Callimachum applicavit, cf. Hymn. in lav. Pall. v. 101:
Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.
cf. Hom. Iliad. XX. 131: *χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.*

Cap. IV.

De Jove Feretrio. (c. 10.)

Romulum Jovi Feretrio templum condidisse, quo spolia opima in aeternum conservarentur, inter omnes Romanos constabat. Tamen neque causa atque origo spoliorum nec vis et sententia cognominis „Feretrii“ prorsus in propatulo erat. Atque spolia opima ea esse, quae dux duci detraxisset, communis opinio ferebat. In hanc sententiam loquitur Livius IV. 20, 6: „ea rite opima spolia habentur, quae dux duci detraxit“. Cum eo conspirare videmus Plutarchum Romul. vit. 16: „*αὐτουργῷ δὲ ἀριστείας στρατηγῷ στρατηγὸν ἀνελόντι δέδοται καθιέρωσις ὀπιμίων*“ et Marcelli vita c. 8: „*ὁ μέντοι πολὺς οὗτος ἐπικρατεῖ λόγος ὡς ἐκείνων μόνων ὀπιμίων ὄντων ὅσα καὶ παρατάξεως οὔσης καὶ πρῶτα, καὶ στρατηγοῦ στρατηγὸν ἀνελόντος*“. Etiam Festus Verrio Flacco auctore ad hanc sententiam accessit[1]); tamen facere non potuit, quin proderet Varronis doctrinam p. 186: „M. Varro ait opima spolia esse etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium“. Addit autem, haec eiusmodi spolia „non ad Feretrii poni aedem, testimonio esse libros Pontificum“. Tamen non putandum est, Varroni vulgarem de spoliis opinionem ignotam fuisse, sed eum de duobus spoliorum generibus disseruisse suspicandum est. Propertius autem cum carminis prooemio pronuntiat:

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
armaque de d u c i b u s t r i n a recepta t r i b u s

satis dilucide significat, se ad eos redire, qui tantum ter illa spolia parta esse referunt.[2])

---

[1]) p. 186: „unde spolia quoque quae dux P. R. duci hostium detraxit“.

[2]) In eadem sententia versantur Livius I. 10, 7: „bina postea [sc. post Romulum] inter tot annos, tot bella opima parta sunt spolia: adeo rara eius fortuna decoris fuit“, Plutarchus Rom. v. 16, 15: ***Καὶ τρισὶ***

In describendis pugnis, quibus spolia capta sint, cum singuli auctores inter se non congruant, Propertium multa ex suo ingenio confinxisse, quippe qui munus poetae, non historici in se susceperit, minime mirandum est. Tamen nonnullis rebus eum cum ceteris auctoribus sive casu sive consilio consentire apparet. Ita enim Livius pugnam inter Romulum et Acronta narrat I. 10, 4: „exercitum fundit fugatque, fusum persequitur, regem in proelio obtruncat et spoliat, duce hostium occiso urbem primo impetu capit“ et bello confecto Romulum Jovi templum dedicasse his verbis Livius auctor est: „Juppiter Feretri, haec tibi victor Romulus rex regia arma fero templumque his regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis quae regibus ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteri ferent“. Ab hac sententia initium sumit describendae pugnae poeta:

5: imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
huius, et exuvio plenus ab hoste redis,
tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
victor in eversum cuspide fundis equum.

Tamen non audeam statuere, Propertio illam sententiam ex Livio hauriendam fuisse, cum ea in ipsa re posita sit. In aliis autem ab illo dissentit. Livius enim omittit tradere, Romulum iam ante pugnam Jovi spolia hostium ducis vovisse. Qua in re propius accedit ad Plutarchum hunc in modum pugnam exponentem Rom. v. 16, 15: *γενόμενοι δ᾽ἐν ὄψει*

μόνοις τούτου τυχεῖν ὑπῆρξε Ῥωμαίοις ἡγεμόσι, πρώτῳ Ῥωμύλῳ κτείναντι τὸν Κενινήτην Ἄκρωνα, δευτέρῳ Κορνηλίῳ Κόσσῳ, Τυρρηνὸν ἀνελόντι Τολούμνιον, ἐπὶ πᾶσι δὲ Κλαυδίῳ Μαρκέλλῳ, Βριτομάρτον κρατήσαντι Γαλατῶν βασιλέως, Festus p. 186: spoliorum tanta raritas fuit, ut intra annos paulo .... trina contigerint nomini Romano, una quae de Acrone, altera quae Consul Cossus Cornelius de Tolumnio, tertia quae M. Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro fixerunt.

καὶ κατιδόντες ἀλλήλους προὐκαλοῦντο μάχεσθαι, τῶν στρατευμάτων ἐν τοῖς ὅπλοις ἀτρεμούντων. Εὐξάμενος οὖν ὁ Ῥωμύλος εἰ κρατήσειε καὶ καταβάλοι, τῷ Διὶ φέρων ἀναθήσειν αὐτὸς τὰ ὅπλα τοῦ ἀνδρός, αὐτόν τε καταβάλλει κρατήσας. Similiter, sed non prorsus consentiens cum Plutarcho, tradit Propertius v. 13:

hunc videt ante cavas librantem spicula turres
Romulus et votis occupat ante ratis.
„Juppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron" [1])
voverat: et spolium corruit ille Jovi.

Hoc autem spectandum est, poetam nihil de certamine singulari, cuius Plutarchus mentionem facit, narrare.

Pugna explicata poeta Romulum summis laudibus celebrans v. 17:

„urbis virtutisque parens sic vincere suevit"

eadem sententia atque elocutione utitur, qua Livius I. 16, 3: „regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum iubent".

Cum autem iudicet Romulum tali modestia ac virtute fuisse, ut eum non puderet rustico habitu in proelium proficisci:

et galea hirsutis compta lupina iubis

sequitur Vergilium Aen. I. 275:

inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem et Mavortia condet
moenia etc. [2])

Altera spolia Cossum in Veiis oppugnandis cepisse omnes tradunt. Itaque recte Propertius:

---

[1]) Dignum videtur quod commemoretur, haec Romuli verba mire congruere cum Liviana oratione Cossi, qui hoc ante pugnam pronuntiat: „iam ego hanc mactatam victimam, si modo sancti quicquam in terris esse dii volunt, legatorum manibus dabo".

[2]) cf. Verg. Aen. VII. 688: fulvosque lupi de pelle galeros
tegmen habent capiti.

Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
vincere cum Veios posse laboris erat.

Atque ut illud facinus Cossi magis illustret, Veios illis temporibus, quibus Romani nondum ultra Tiberim progressi essent, institutis et legibus floruisse exponit, sua aetate urbem nullam esse:

27: O Veii veteres, et vos tum regna fuistis
et vestro posita est aurea sella foro:
nunc intra muros pastoris bucina lenti
cantat et in vestris ossibus arva metunt.

Cum hac descriptione componere liceat illos Vergilianos versus suavissimos Ge. I. 493—97:

scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
agricola, incurvo terram molitus aratro,
exesa inveniet scabra robigine pila,
aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,
grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Atque illa Veiorum descriptione praemissa poeta refert de pugna inter Cossum et Tolumnium commissa prorsus diverse ab aliis scriptoribus;[1]) narrat enim Cossum ducem hostium ad certamen singulare provocasse. Quod igitur in pugna Romuli narranda omisit, id ad proelium Cossi eum transtulisse coniciendum est. Hoc autem certum videtur, poetae verba

37: desecta Tolumni
cervix Romanos sanguine lavit equos

[1]) Livius tradit IV. 19, 2—5: (Cossus) cum ad impetum Tolumnii quacunque se intendisset trepidantis Romanas videret turmas insignemque cum regio habitu volitantem tota acie cognosset, „hicine est", inquit, „ruptor foederis humani violatorque gentium iuris? Jam ego hanc mactatam victimam, si modo sancti quicquam in terris esse dii volunt, legatorum manibus dabo". Calcaribus subditis infesta cuspide in unum fertur hostem, quem cum ictum equo deiecisset, confestim et ipse hasta innixus se in pedes excepit; adsurgentem ibi regem umbone resupinat, repetitumque saepius cuspide ad terram adfixit.

referenda esse ad Livii IV. 19, 5: „exsangui detracta spolia caputque abscisum victor spiculo gerens terrore caesi regis hostes fudit“.

Tertia spolia petivit Claudius a Virdomaro, duce Gallorum, de quo poeta 41:

genus hic Brenno iactabat ab ipso,
nobilis erectis fundere gaesa rotis.
illi virgatis iaculantis ab agmine braccis
torquis ab incisa decidit unca gula.

In habitu huius Galli describendo videtur Propertius respexisse ad Vergilii VIII. 660:[1])

virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant
gaesa manu, scutis protecti corpora longis.

In conclusione carminis Propertius loquitur de vi atque sententia cognominis „Feretrii“, de quo apud veteres complures opiniones exstitisse non ignorat. Uberrime de hac re agit Plutarchus Romuli v. 16, 5: *τὸ δὲ τρόπαιον ἀνάθημα Φερετρίου Διὸς ἐπωνομάσθη. Τὸ γὰρ πλῆξαι φερῖρε Ῥωμαῖοι καλοῦσιν* et Marcelli v. 8: *καλεῖται δ'ὁ μὲν θεὸς ᾧ πέμπεται, Φερέτριος Ζεύς, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, ἀπὸ τοῦ φερετρευομένου τροπαίου, κατὰ τὴν Ἑλληνίδα γλῶσσαν, ἔτι πολλὴν τότε συμ-*

---

[1]) Hic illic Vergilianas elocutiones in hoc carmine sparsas esse, locis singulis collatis apparat:

Verg. XI. 691: sed Buten aversum cuspide fixit
Prop. 8: victor in eversum cuspide fundis equum.

Verg. VIII. 261: et siccum sanguine guttur.
IX. 63: et siccae sanguine fauces.
Prop. 12: sed non sanguine sicca suo.

Verg. XI. 605: hastasque reductis
protendunt longe dextris et spicula vibrant.
Prop. 13: hunc videt ante cavas librantem spicula turres.

Verg. VI. 17: Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce
Prop. 31: forte super portae dux Veius adstitit arcem.

Verg. XII. 771: puro ut possent concurrere campo
Prop. 35: forti melius concurrere campo.

μεμιγμένην τῇ Λατίνων· ὡς δ' ἕτεροι, Διός ἐστιν ἡ προσωνυμία κεραυνοβολοῦντος. τὸ γὰρ τύπτειν φερῖρε οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. ἄλλοι δὲ παρὰ τὴν τοῦ πολέμου πληγὴν γεγονέναι τοὔνομα λέγουσιν, καὶ γὰρ ἐν ταῖς μάχαις ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρι, τουτέστι παῖε, παρεγγυῶσιν ἀλλήλοις.

Plutarchum autem ex Varrone pendere nobis iam exploratum est; sed hoc non praetereundum, Plutarchum Varrone ita usum esse, ut ad Jubae[1] librum de *ὁμοιότησιν* ex Varrone haustum adiret. Varro igitur nomen „Feretrii" revocat aut ad verbum „feriendi" aut ad verbum „ferendi", quod spolia opima ferebantur feretro. Ad eum Propertium revocandum esse recte sentire nobis videmur, cum ita disserat:

45: causa Feretri,
omine quod certo dux ferit ense ducem;
seu, quia victa suis umeris haec arma ferebant,
hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

Aliter quidem iudicat Festus p. 92: „Feretrius Juppiter dictus a ferendo quod pacem ferre putaretur; ex cuius templo sumebant sceptrum per quod iurarent, et lapidem silicem quo foedus ferirent".

Hanc opinionem, quam Festum ex Verrio Flacco deprompsisse putandum est, Propertio ignotam fuisse veri aliquam habet speciem. Fortasse inde concludere licet, Verrium Flaccum omnino non a Propertio in usum vocatum esse; quod sane per temporum rationes fieri non potuit, si recte iudicat Merkelius (Ov. Fast. praef. p. 94), Flaccum libros de significatu verborum provecta aetate in lucem edidisse; quamquam etiam Mülleri (Fest. praef. p. 29) sententia probata, libros Flacci paulo post a. 735 editos esse, Propertium eos adhibuisse non probabile est, cum poeta in carminibus Romanis occupatum fuisse per a. 730—38 verisimile sit.

[1]) Jubam, Mauretaniae regem, multum temporis Romae versatum, maxime nisum in Varrone, libris suis, quorum perpaucae reliquiae tantum exstant, mores atque instituta Romanorum et Graecorum composuisse notum est. cf. Barth. l. c.

Cap. V.

De Romanorum antiquitate. (c. I.)

Carmine primo, quod poeta quasi prologum totius operis esse voluit, ex quibus originibus et initiis orta respublica Romana ad summam potentiam progressa sit, demonstrat. Itaque explicat formam, instituta, virtutes antiquissimae civitatis, ea omnia eligens et congerens, quibus maxime veteres Romani floruerint.[1]) Cum autem tantum propria ac peculiaria insignia singularum rerum brevissime exponat, est difficillimum exquirere, quibus auctoribus poeta nixus sit. Multis igitur locis nobis satis habendum erit cognoscere, quibus rebus cum aliis scriptoribus conspiret, quibus ab eis dissentiat.

Primo loco poeta expositurus, quae natura fuerit ac forma veterrimae Romae, ante Aeneae aetatem nihil urbis simile exstitisse iudicat:

hoc, quodcunque vides, hospes, qua maxima Romast,
ante Phrygem Aenean collis et herba fuit.

Tamen ex hoc non colligendum est, Propertium eam opinionem secutum esse, quae legitur apud Festum p. 266: „Romam appellatam esse Cephalon Gergithius (qui de adventu Aeneae in Italiam videtur conscribsisse) ait ab homine quodam comite Aeneae. eum enim occupato monte qui nunc Palatius dicitur, urbem condidisse atque eam Romam nominasse“, sed

---

[1]) Maxime ex hoc carmine, cum non praebeat continentem ac perpetuam narrationem, sed enumerationem singularum rerum, nonnulli argumentum petiverunt, quo demonstrare conabantur, elegias Romanas interruptas et dissipatas, ideoque imperfectas esse. Quod ne in hoc quidem carmen cadit. Nam quam dilucida sit orationis descriptio, quam arte cohaereant singulae sententiae, docuerunt Krahnerus Philol. tom. 27 (1868) p. 63 et Brandtius p. 35; paucis tantum locis ordo versuum videtur immutandus esse, cf. Otto, in Comment. philol. in honorem Reifferscheidii, Vratisl. 1884, p. 10 etc.

quomodo Vergilius ab Aenea initium sumere potentiam reipublicae, ita Propertius Aeneae adventu Romam aliquam imaginem habere coepisse existimat.

De forma autem veteris urbis agens Propertius cum paupertate ac tenuitate antiquarum aedium comparat sui temporis celeberrima aedificia et monumenta, quorum primum laudat templum in Palatio Apollini ob victoriam Actiacam dedicatum[1]:

„atque ubi navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves".

Atque recte poeta ipsum Palatium elegit, quod in eo primo omnium locorum domicilia constituta esse omnes consentiunt. Quae cum ab Evandro condita esse narret, accedit ad Vergilium Aen. VIII. 313 ita de eo loquentem: „Romanae conditor arcis." Evandrum autem ex Graecia „profugum" in Italiam venisse, tradit etiam Livius[2]) I. 7, 8: „Evander tum ea profugus ex Peloponneso auctoritate magis quam imperio regebat loca".

De vetere autem Palatii[3]) habitu similia Tibullus, ex quo Propertium pendere verisimile est, exhibet II. 5, 23:

Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
moenia . . . . .
sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae.

---

[1]) Hanc aedem celebrat poeta etiam aliis locis, cf. III. 31, V. 6.

[2]) Conferendus est etiam Varronis de l. l. V. 21: Euander qui in Palatium venit, e Graecia Arcas.

[3]) Quod veriloquium exstabat de Palatio, id poeta non modo non ignorat, sed significare videtur ipsis verbis „Euandro profugae concubuere boves". Nam Palatium appellatum esse a bovibus palantibus, legimus apud Paulum p. 220: „Palatium id est mons Romae appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueverit, vel quod palare, id est errare, ibi pecudes solerent". Hoc quidem satis constat, grammaticos in hac una nominis interpretatione non acquievisse, quare alia veriloquia nominis protulerunt, quae etiam historici scriptores amplexi sunt, cf. Varro de l. l. V. 53, Livius I. 5. 1, Dionys. Hal. I. 31, Servius Aen. VIII. 51.

Ad quam sententiam etiam Ovidius accessit A. A. III. 119:

Quae nunc sub Phoebo ducibusque Palatia fulgent,
quid nisi araturis pascua bubus erant?[1])

v. 5—8: „fictilibus .... tonabat“ poeta opposuit celeberrimum illud templum Jovis Capitolini, impletum aureis, marmoreis, eburneis simulacris, illis parvulis sacellis[2]) antiquissimi temporis; atque concludit hanc partem, qua de templis egit, eadem sententia, qua inceperat, Romam nihil nisi agrum pascuum fuisse, ad quem Tiberis allueret:

et Tiberis nostris advena bubus erat.[3])

Hic fortasse in animo poetae haerebant verba

Vergilii Aen. VIII. 360: „passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.“

Neque sine certo consilio poeta hanc sententiam, iam semel v. 4 expositam, hoc loco repetivit; nam veteres Romanos nihil nisi pastores fuisse atque omnia apud eos ad hanc vitae rationem accommodata fuisse demonstrare hoc carmine sibi proposuit.[4])

---

[1]) Totus hic locus Propertii saepius ab Ovidio expressus est, cf. Ov. Fast. I. 243:

hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,
tantaque res paucis pascua bubus erat.

V. 93: hic ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae
et paucae pecudes et casa rara fuit.

V. 639: haec loca desertas vidi sine moenibus herbas;
pascebat sparsas utraque ripa boves.

[2]) Krahnerus recte iudicavit verbo „casa“ significari „sacella“; itaque cavendum est, ne cum hoc loco conferamus Tibulli v. II. 5, 26:

et stabant humiles in Jovis arce casae,

cum Tibullus agricolarum et pastorum parva domicilia significet. Potius ad sententiam, quae inest huic nostro loco, afferendus est Tibulli

I. 10, 20: „stabat in exigua ligneus aede deus“.

[3]) cf. Ovid. Fast. V. 641:

quem nunc gentes Tiberim noruntque timentque,
tunc etiam pecori despiciendus eram.

[4]) Hoc quamquam nemini ignotum esse poterat, tamen verisimile est, Propertii animo per totum hoc carmen, quo omnia ad vitam pastoriciam revocat, ea obversata esse, quae Varro refert de vita veterum

Eodem spectant ea, quae altera parte explicavit. Nam Romulum et Remum, urbis conditores, ipsos pauperrimos eorumque casam parvulam atque humillimam fuisse, significat verbis:

„qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
unus erat fratrum maxima regna focus“.

Eadem de Romuli Remique condicione tradit Dionys. I. 79: *αὐτοῖς ἦν δίαιτα αὐτουργὸς ἐν ὄρεσι τὰ πολλὰ πηξαμένοις διὰ ξύλων καὶ καλάμων σκηνὰς αὐτοφόρους· ὧν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦν τις ἐκ τοῦ Παλαντίου ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν ἱππόδρομον στρεφούσης λαγόνος Ῥωμύλου λεγομένη ἣν φυλάσσουσιν ἱερὰν οἷς τούτων ἐπιμελές.* Atque Propertianae domus Romuli descriptioni iam Lachmannus apposuit locum qui exstat apud Plutarchum v. Rom. c. XX: *ᾤκει δὲ Ῥωμύλος παρὰ τοὺς λεγομένους βαθμοὺς καλῆς ἀκτῆς, οὗτοι δὲ εἰσὶ περὶ τὴν εἰς τὸν ἱππόδρομον τὸν μέγαν ἐκ Παλαντίου κατάβασιν.* Qua descriptionis similitudine id, credo, evincitur, Propertium eam casam significare voluisse, quae erat in Palatio; aliam quoque casam Romuli exstitisse in monte Capitolino elucet cum ex aliis scriptoribus tum ex Vergilio

Aen. VIII. 653: „stabat pro templo etCapitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo“.

et ex Macrobio I. 15 (p. 273 ed. Bipont.): sacrificio a rege et minore pontifice celebrato, idem pontifex calata, id est vocata in Capitolium plebe iuxta curiam Calabram, quae casae

---

Romanorum de re rust. II. 1: „Romanorum populum a pastoribus esse ortum, quis non dicit? quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum et Remum educavit? non ipsos quoque fuisse pastores obtinebit quod parilibus potissimum condidere urbem? non idem quod multa etiam nunc ex vetere instituto bubus et ovibus dicitur? et quod aes antiquissimum quod est flatum pecore est notatum? et quod urbs, cum condita est, tauro et vacca, qui essent muri et portae, definitum? et quod populus Romanus cum lustratur suovitaurilibus circumaguntur verres aries taurus“ etc.

Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat.[1])

Atque ut reges omni splendore caruerint, ita senatores pastoricio habitu, pellibus indutos sub divo consilium habuisse poeta narrat:

11. curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
pellitos habuit rustica corda patres.[2])
bucina cogebat priscos ad verba Quirites:
centum illi in prato saepe senatus erat.

Eundem numerum senatorum indicat Festus p. 339: „quos (sc. senatores) initio Romulus elegit centum, quorum consilio rempublicam administraret". De modo autem, quo convocabantur cives illis temporibus, refert Dionys. Hal. II. 8, p. 81: *τοὺς δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον.* Et Dionysii et Propertii verba ad Varronem redire verisimile mihi videtur, quae sententia adiuvatur eo quod legitur apud Varronem de l. l. V. 117: Cornua, quod ea, quae n u n c sunt ex aere, t u n c fiebant b u b u l o e c o r n u.

Transeo iam ad tertium carminis locum, quo poeta ut nonnulla veterum sacra exponat operam dat; eligit autem ea, quae maxime valeant ad illustrandam vitam rusticam ac pastoriciam, Palilia, Vestalia, Compitalia, Lupercalia: quamquam id quoque agit, ut sacra, ex quibus virtus Romana nata sit, patria ac domestica esse comprobet, cf. v. 17 et 18. De Palilibus quidem iam cap. II. p. 31 egi; cum autem, quae poeta fabulam Tarpeiae tractans de hoc festo exposuerit, ad Varronem redire visa sint, eum etiam eo, quod nostro in carmine quasi ut proprium Palilium insigne addit, sanguinem equi Octobris Palilibus ad lustrationem adhiberi, cum Varrone consentire puto:

---

[1]) Haud nescio an Krahnerus l. c. recte iudicaverit, Augusti temporibus casam Romuli a monte Palatino in Capitolinum translatam esse.

[2]) cf. Ov. Fast. V. 71:

Romulus hoc vidit selectaque pectora patres
dixit: ad hos urbis summa relata novae.

annua at accenso celebrare Palilia faeno,
qualia nunc curto lustra novantur equo.[1])

Ad hanc sententiam adducor etiam eis, quae Paullus p. 178 exhibet: „October equus appellabatur qui in campo Martio mense Octobri Marti immolabatur . . cuius cauda ut ex ea sanguis in focum destillaret, magna celeritate perferebatur in regiam". Quod autem ex Propertii oratione elucet, demum posteriore aetate sanguinem equi Octobris Palilibus adhiberi coeptum esse, num ex certo fonte hauserit, indicare non habeo.

Aptissime subiungit poeta Octobri equo Vestae sacra:

21. „Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,[2])
ducebant macrae vilia sacra boves".

nam ut Idibus Octobribus equus mactatus coronabatur,[3]) ita Vestalibus aselli, pistorum iumenta, panibus, Vestae igni debitis, redimiebantur. Sed cum praeter asellos boum faciat mentionem, consentit cum Paulli[3]) verbis, quae ad Varronem per Verrium Flaccum redire videntur „bos frugibus pariendis est aptus".

Quae de Compitalibus[4]) poeta dicit, non ita comparata sunt, ut ad certum auctorem referri possint. Sed hoc non praetereundum videtur, Propertium id agentem, ut tenuitatem sacrorum exponat ideoque tantum singula eligat, a vera festi

---

[1]) cf. Ovid. Fast. IV. 731:
i, pete virginea, populus, suffimen ab ara:
Vesta dabit: Vestae munere purus eris.
sanguis equi suffimen erit vituli que favilla.

[2]) cf. Ovid. Fast. VI. 311:
ecce coronatis panis dependet asellis,
et velant scabras florida serta molas.

[3]) cf. Paullus p. 220: Panibus redimibant caput equi immolati Idibus Octobribus, in campo Martio quia id sacrificium fiebat ob frugum eventum; et equus potius quam bos immolabatur, quod hic bello, bos frugibus pariendis est aptus.

[4]) cf. Varro de l. l. VI. 25: Compitalia dies attributus Laribus Compitalibus ideo ubi viae competunt, tum in competis sacrificatur.

descriptione longissime abesse. Nam Compitalia magnis ludis sollemniter esse celebrata Festus[1]) et Macrobius[2]) tradunt.[3]) Postremo agit de Lupercalibus:

verbera pellitus saetosa movebat arator,
unde licens Fabius sacra lupercus habet.

quem diem festum ab Euandro, ut fabula veteri tradebatur, institutum[4]) per omnia fere Romanorum tempora permansisse omnes sciunt.[5]) In sacrorum ritu explicando cum Propertio ita Plutarchus consentit, ut etiam verba plane concinant. Hoc autem tradit Plutarchus Rom. vit. 21, 10: *τὰ δέρματα τῶν αἰγῶν κατατεμόντες διαθέουσιν ἐν περιζώσμασι* (pellitus) *γυμνοὶ τοῖς σκύτεσι* (verbera) *τὸν ἐμποδὼν παίοντες* et Caes. vit. 61: *τῶν δ' εὐγενῶν νεανίσκων καὶ ἀρχόντων πολλοὶ διαθέουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν γυμνοὶ σκύτεσι λασίοις* (saetosa verbera) *τοὺς ἐμποδὼν ἐπὶ παιδιᾷ καὶ γέλωτι παίοντες.*[6])

Ex hoc ipso loco elucet, Plutarchum Jubae librum expressisse, quippe quo Varronis verba in graecam linguam conversa essent.

---

1) Festus p. 46: Pilae effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus in competis suspenduntur quod hunc diem festum esse deorum inferorum putant, eorum quos vocant Lares, quibus tot pilae suspenduntur, quod capita sunt servorum, tot effigies quot sunt liberi homines in familia collocantur, ut vivis parcant, pilis et simulacris contenti.

2) Macrobius Sat. I. 7: factum est, ut effigies Maniae suspensae pro singulorum foribus periculum si quod immineret, familiis expiarent, ludosque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellitaverunt.

3) cf. Preller, Roem. Mythol. ³II, p. 112.

4) Livius I. 5, 2: Ibi (sc. in Palatio) Evandrum.. sollemne allatum ex Arcadia instituisse (sc. ferunt) ut nudi iuvenes Lycaeum Pana venerantes per lusum atque lasciviam currerent, quem Romani deinde vocaverunt Inuum.

5) cf. Mommsenus hist. rom. I⁶, p. 44: Ein Bauern- und Hirtenfest, das wie kein anderes die schlichten Spässe patriarchalischer Einfalt bewahrt und merkwürdig genug unter allen heidnischen Festen sich am längsten im christlichen Rom behauptet hat.

6) cf. Plut. Quaest. Rom. c. 68.

Cum autem Lupercalium sacra permultum temporis penes Fabios et Quinctilios fuisse notum sit, est mirum Propertium solos Fabios laudare:

unde licens Fabius sacra lupercus habet.

Sed quamquam Fabiorum gentem vetustiorem fuisse Quinctiliis inter multos constat, tamen dubito, num Propertius hanc temporum rationem praedicandis Fabiis significare voluerit; potius est coniciendum, poetam eodem modo omissis Quinctiliis Fabios laudasse, quo antea v. 9: pro Romulo Remum, i. e. unum pro utroque nomina verit. Atque gentes inter se auctoritate pares fuisse, colligi potest ex Paullo p. 257: Quinctiliani Luperci appellati sunt a Quinctilio quodam qui praepositus est Lupercis, ut a Fabio dicti sunt Fabiani Luperci quibus hic praepositus fuerit. fuisse autem Romuli temporibus institutos utrosque et Fabianos et Quinctilianos multi sunt qui tradiderint.[1])

De re militari quae refert Propertius

27: nec rudis infestis miles radiabat in armis,
miscebant usta proelia nuda sude.

ea ad Vergilium redire apparet collato loco

Aen. VII. 523: certamine agresti
stipitibus duris agitur sudibusve praeustis.

Sed de Romuli in re militari paupertate poeta etiam c. 10 hoc modo agit:

---

[1]) Ovidius confingit Fabios Quinctiliis superiores fuisse, cum cibos a latronibus defensos soli ederent, cf. Fast. III. 373:

Ut rediit, veribus stridentia detrahit exta
atque ait „haec certe non nisi victor edet".

Atque nostris temporibus inter viros doctissimos nondum convenit, utra gens vetustior vel nobilior habenda sit. Mommsenus quidem, cum antea haec scripsisset (hist. Rom. I[1], p. 33): „Das Wolfsfest, das das Geschlecht der Fabier am palatinischen Hügel beging", posteriore in editione (I[6]) genti Quinctiliae illam partem attribuit. Ungerus autem quod statuit (Mus. Rhenan. 36, 55) Quinctilios ideo Fabiis nobiliores esse, quod nomen eorum a „quinquando" i. e. lustrando petitum sit itaque bonum omen prae se tulerit, mihi quidem minime probavit.

qui tulit aprico frigida castra lare.
idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
et galea hirsutis compta lupina iubis.
picta neque inducto fulgebat parma pyropo:
praebebant caesi baltea lenta boves.

Cum igitur antea duces Romani sub divo consedissent, primum praetorio usum esse docemur illum Lucumonem,[1] qui Romulo auxilium tulit:

29. „prima galeritus posuit praetoria Lycmon".

Etiam hunc galea indutum fuisse, Propertius discere potuit et fortasse collegit ex Varronis loco de l. l. V. 116: „galea a galero quo multi usi sunt antiqui".

Quod autem poeta de Romulo dixerat, id etiam de Tatio pro certo habebat:

magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

De tribus partibus populi Romani cum apud omnes fere scriptores tradatur, non de eis copiosius disserendum videtur; fortasse Propertio scribenti:

hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni

Varronis verba obversabantur, quippe qui eodem partium ordine utatur (de l. l. V. 55) „Ager Romanus primum divisus in parteis tris, a quo tribus appellata Tatiensium Ramnium Lucerum: nominatae, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut Junius, a Lucumone".

Sed uberius agendum est de eo, quod poeta Romulum primum triumphum egisse refert:

„quattuor hinc albos Romulus egit equos".

Nam de pompa, qua Romulus in urbem ingressus sit, narrat Dionysius II. 34: *τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς.* Huic adversatur Plutarchus vit. Rom. 16: ***Κόσσος** μὲν οὖν καὶ **Μάρκελλος** ἤδη τεθρίπποις εἰσήλαυνον,*

---

[1]) De Lucumone cf. p. 30

αὐτοὶ τὰ τρόπαια φέροντες. Ῥωμύλον δ' οὐκ ὀρθῶς φησιν ἅρματι χρήσασθαι Διονύσιος. Cum Plutarchum omnibus fere Romuli vitae locis ad Varronem accessisse certum sit, Varronem de ea re aut nihil aut contrarium ac Dionysium tradidisse verisimile est; aliter Plutarchus tali confidentia Dionysio repugnare non potuit. Mihi quidem et Propertium et Dionysium Varronis sententia spreta de illa re communem opinionem secutos esse certum videtur.

Ex earum urbium numero, quibuscum antiquissimis Romanis pugnandum erat, non sine consilio laudat poeta Bovillas, Gabios, Albam, Fidenas:

33. quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae,
et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
hac, ubi Fidenas longe erat ire vias.

nam cum omnes pristinis temporibus Romae praestitissent, earum infirmitas et humilitas Augusti aetate iam paene proverbio eludebatur. Itaque Horatius Epist. I. 11, 7: „Scis Lebedus quid sit: Gabiis desertior atque Fidenis vicus“. Ad verbum fere cum Propertii versu:

„et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi“

conspirare videtur Dionysius IV. 53: *Πόλις ἦν τοῦ Λατίνων γένους . . . . . νῦν μὲν οὐκέτι συνοικουμένη πᾶσα, πλὴν ὅσα μέρη πανδοκεύεται κατά τὴν ὁδόν· τότε δὲ πολυάνθρωπος καί, εἴ τις ἄλλη, μεγάλη.* Similiter disserit de Fidenis II. 53: *Ἐπὶ τὴν Φιδηναίων ἐστράτευσε πόλιν, ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην, μεγάλην τε καὶ πολυάνθρωπον οὖσαν τότε.*

Atque Albam albae suis omine natam esse, ex Vergilio Propertius discere poterat:

III. 389. cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
triginta capitum fetus enixa iacebit,
alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

qui versus excepto primo repetuntur Aen. VIII. 43. Hanc narrationem[1]) exhibet etiam Varro de l. l. V. 144: „Hinc (sc. Lavinio) post triginta annos oppidum alterum conditum. Alba, id ab sue alba nominatum. haec e navi Aeneae quom fugisset Lavinium triginta parit porcos, ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta haec urbs facta propter colorem suis et loci naturam Alba longa dicta“ et Servius Aen. I. 270: „Ascanius Albam condidit dictam Longam ab omine albae porcae repertae vel situ civitatis vel prolixitate collis“.

Vetustissimae Romae simplicitate depicta ita hanc totam partem Propertius concludit, ut nihil Romanis patrium fuisse dicat nisi nomen.[2])

Sequitur altera carminis pars qua poeta patriis deis cum Troiae penatibus coniunctis posteram magnitudinem et potentiam et gloriam populi Romani non quidem ortam, sed confirmatam ac munitam esse exponit. Quod argumentum cum Vergilius primus Aeneide conformaverit ac tractaverit, inde quin Propertius sumpserit, dubitari non potest; sed non minus eius animo obversabatur Tibulli carmen II. 5, quo de Sibylla agitur praenuntiante Aeneam et Troiae deos in Italiam adventuros esse. Itaque quod Propertius, ut iam initio, praecipiat, quid tota parte velit, explicat:

huc melius profugos misisti, Troia, penates

hoc imprimis ad Tibullum revocandum esse primo obtutu certum videtur, ita scribentem:

---

[1]) Nulla huius fabulae ratione habita disserit Livius de Alba I. 3: „Ascanius — novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quae ab situ porrectae in dorso urbis Alba Longa appellata.

[2]) cf. Varro de l. l. VIII, 18: „ . . . . . ab Romulo Roma, ab Roma Romanus“. Tamen nonnulli offendisse videntur in hoc veriloquio; Varro enim exponit de l. l. IX, 50: qui dicunt, quod sit ab Romulo Roma, et non Romula etc. Huic quaestioni respondet Paullus p. 268: Romam Romulus de suo nomine appellavit, sed ideo Romam, non Romulam, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriae suae ominaretur“.

II. 5, 39. impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
iam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros,
iam vocat errantes hospita terra lares.

Aeneidis autem vix est ullus liber, quo hanc esse summam laudem Aeneae, quod ex incendio Troiae deos seravverit, non praedicetur.

cf. VI. 66: non indebita posco
regna meis fatis, Latio considere Teucros,
errantisque deos agitataque numina Troiae.

cf. praeterea I. 6. 68. 378, III. 149, IV. 598, V. 632 etc.

Jam ante Troiam deletam deos Romae condendae favisse, documento esse fausta omina Propertius docet v. 41—44:

iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
laeserat abiegni venter apertus equi [1]),
cum pater in gnati trepidus cervice pependit
et verita est umeros urere flamma pios.

Ita Vergilius quoque fugam Aeneae describit:

II. 632. descendo ac ducente deo flammam inter et hostes
expedior, dant tela locum flammaeque recedunt.[2])

Atque cum Propertius singula persequens enumeret nomina heroum, quibus debeatur gloria reipublicae:

tunc animi venere Deci Brutique secures,
vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus

sequitur Anchisem apud Vergilium praenuntiantem magnitudinem Romae:

VI. 818 ultoris Bruti fascesque videre receptos?
824 quin Decios Drusosque procul saevumque securi
aspice Torquatum etc.

---

1) Equum ligneum Propertius commemorat IV. 1, 25:
nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces.
IV. 9, 41: Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
victor Palladiae ligneus artis equus.

2) Totus hic locus conferendus est cum Horatii c. saecul. v. 37—44.

Quod autem de Roma nuntiat poeta, eam esse alteram Troiam:

arma resurgentis portans victricia Troiae.[1])

hoc redire videtur non solum ad Vergilium:

I. 68 Ilium in Italiam portans victosque penates
et 206 illic fas regna resurgere Troiae,

sed etiam fortasse ad Ennium, si modo fragmentum „in Roma Troia revixti" Ennii est.[2])

Omnia, quae Romanis eventura essent ab Aeneae adventu, Sibyllinis libris conscripta erant, qui quanti aestimati sint omnes sciunt. Atque plures Sibyllas fuisse Propertius non ignorat; itaque v. 49 dicit:

„si modo Avernalis tremulae cortina[3]) Sibyllae" etc.

Hoc explicatius tradidit Varro, ex quo Lactantius hausit haec (I. 6. 7): „M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem vixit, in libris rerum divinarum quos ad C. Caesarem Pontificem Maximum scripsit, cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae vates Sibyllae sunt a veteribus nuncupatae, vel ab unius Delphidis nomine vel a consiliis deorum enuntiandis. σιοὺς enim deos, non θεοὺς et consilium non βουλὴν appellabant sed βυλὴν Aeolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. Ceterum Sibyllas decem numero fuisse e. q. s".[4])

Propertius autem cum de Avernali i. e. Cumaea Sibylla agat, sequitur opinionem vulgarem, qua huius Sibyllae libris fata Romanorum conscripta fuerint; sequitur etiam sententiam, quam Vergilius exhibet:

---

1) cf. v. 87:
dicam: Troia cades et Troica Roma resurges.

2) cf. Ennii Ann. fragm. ed. Spangenberg I. 93.

3) cf. Vergil. VI. 347:
„neque te Phoebi cortina fefellit".

4) Recte Maassius de Sibyllarum indicibus Gryphisw. 1879 p. 32, non solum demonstrat, a Varrone ipso indicem illum Sibyllarum confectum esse, sed etiam illius catalogi originem ad Timaeum refert.

Ecl. IV. 4 Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.[1])

Atque Propertius ex Sibyllae vaticiniis profert duo, quorum alterum est de Roma condenda:

„dixit Aventino rura pianda Remo".

Quod utrum Propertius ex alieno fonte an ex suo ipsius ingenio hauserit, diiudicari nequit, cum a nullo omnino tradatur. Equidem puto, illo versu poetam unum Remum pro utroque fratre[2]) commemorantem nihil aliud nisi in universum consecrationem soli et constructionem urbis significasse. Recte autem Remo Aventinum assignavit; nam memoria Romulo vindicat Palatium,[3]) Remo Aventinum, atque ita scripserunt Livius,[4]) Dionysius[5]), Plutarchus,[6]) Festus.[7]) Unus Ennius tradidit contrarium Ann. I. 83:

at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino servat genus altivolantum.

Alterum vaticinium est Cassandrae[8]) praenuntiantis, Troiam resurrecturam esse:

„vertite equum Danai! male vincitis, Ilia tellus
vivet et huic cineri Juppiter arma dabit".

Hoc quamquam apud Vergilium non exstat, tamen, ut ita dicam, Vergilianis coloribus expressum; saepius enim apud Vergilium scriptum videmus „Ilia tellus" (IX. 283, XI. 245 etc.) et „Iliaci cineres" (II. 430, V. 787 etc.).

---

1) cf. Lactantii de ira dei ad Donatum liber c. 23. 2: Cumaea quidem volumina quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcanis habentur.

2) cf. v. 9: qua gradibus domus ista Remi se sustulit.

3) cf. V. 6, 43: murorum Romulus augur
ire Palatinas non bene vidit aves.

4) cf. I. 6.

5) cf. I. 86.

6) Rom. v. IX. 4.

7) p. 277.

8) De Cassandra agit Propertius etiam IV. 13, 61. cf. Otto de fabulis Propertianis p. 31.

De tertia parte carminis, qua poeta praefatur, quid carminibus Romanis tractaturus sit, nihil est quod disseram.[1])

---

[1]) Carmini primo subiuncti sunt octoginta versus, quibus poeta horoscopum quendam Babylonium inducit sibi obiurgantem, quod ad tale opus, quale sibi proposuerit, accesserit. Cum illum horoscopum originem deducentem faciat ex Conone, poeta cogitasse videtur de illo Conone, qui Ptolemaeo regnante comam Berenices in stellarum numerum rettulisse dicitur, de quo cf. Callimachi c. de coma Ber. Catull. c. 66. 7, Vergil. Ecl. III. 40.

Sed illorum octoginta versuum origo quamquam non est plane explorata, tamen nostris temporibus nemo doctus dubitat, quin ipse Propertius ratus, se tam grandi operi non parem esse, illum horoscopum se admonentem fecerit, ut potius elegos quam carmina heroica pangat:

At tu finge elegos, fallax opus, — haec tua castra —
scribat ut exemplo cetera turba tuo.

Elocutio autem horum versuum eodem modo ad Vergilium et Tibullum accedit atque cetera Propertii carmina; cf.

Verg. Ge. I. 335: hoc metuens caeli menses et sidera serva,
frigida Saturni sese quo stella receptet.
Prop. 84: et grave Saturni sidus in omne caput.

Verg. Ge. I. 239: obliquus qua se signorum verteret ordo.
Prop. 82: obliquae signa iterata rotae.

Verg. Ge. II. 477: caelique vias et sidera monstrent.
Prop. 107: adspicienda via est caeli verusque per astra trames.

Verg. Aen. X. 102: et tremefacta solo tellus, silet arduus aether.
Prop. 149: vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum.

Tibull. II. 1, 26: significet placidos nuntia fibra deos.
Prop. 104: aut sibi commissos fibra locuta deos.

Tibull. I. 7, 22: fertilis aestiva Nilus abundet aqua.
Prop. 124: et lacus aestivis intepet Umber aquis.

Adde Horatii

C. IV. 11, 26: et exemplum grave praebet ales.
Prop. 109: exemplum grave erit Calchas.

C. III. 23, 12: Victimo pontificum secures cervice tinget.
Prop. 111: idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae tinxit.

Quoniam ad finem quaestionis perveni, restat, ut summam cogitationum mearum subducam. Atque elocutionem quidem Propertii ex ceteris poetis pendere, praesertim cum omnes poetae aetatis Augusti artissime inter se cohaereant, iam saepius viri doctissimi cum alii, tum maxime Zingerleius demonstraverunt: qua in re ex eis carminibus, quae equidem tractanda mihi proposui, ut locos talem similitudinem prae se ferentes plures et pleniores conferrem, fortasse mihi contigit.

In argumento autem conformando Propertium complures auctores secutum esse, ex hoc meo libello fore ut eluceat spero. Quorum quamquam maxime Varronis libros de lingua latina, quippe qui soli cum libris de re rustica ad nostram aetatem pervenerint, nominavi, tamen ad eos solos Propertium respexisse non putandum est; immo coniciendum est, poetam ad Varronis Aetia et ad libros de vita populi Romani et de antiquitatibus saepissime accessisse. Illi autem libri de lingua latina a nobis adhiberi poterant sive debebant, cum Varronem multa ex ceteris scriptis repetivisse atque in suis sententiis sibi constitisse per se pateat.

Sed non minus velim, multum valuisse ad carmina Romana Livii libros, demonstraverim; atque ut coniecturas rectam rationem excedentes fecerim, tamen quin Livius et Propertius inter se cohaereant, vix dubitandum est.

Quae si conceduntur, Propertium in illa studia scriptorum incubuisse, ut grande et continuum poema conderet, quin omnes consentiant, fieri non potest. Neque quicquam magis dolendum est, quam quod poeta illud opus conficere morte immatura prohibitus est.

VITA.

Mauritius Tuerk natus sum a. d. IV. Cal. Mai. Vilnae a. h. s. LIX. Fidem confiteor iudaicam. Mutantibus domicilium parentibus altero aetatis anno Lautenburgum perveni, ubi primis litterarum elementis imbutus sum. Non multo post Thorunum profectus gymnasium regium Thorunense a sexto ad quartum ordinem frequentavi, tum Berolinum sede ac domicilio translato gymnasium Sophianum adii, ubi a quibus institutus sum omnes grata memoria mihi colendos profiteor. Vere a. LXXVIII maturitatis testimonio instructus civibus Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus sum atque per octies sex menses scholis interfui virorum clarissimorum Harms, Huebner, Kirchhoff, Lazarus, Paulsen, Robert, Scherer, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Praeterea Huebner et Kirchhoff ad Graecas, Vahlen ad Latinas exercitationes benigne aditum mihi permiserunt. Quibus omnibus gratias hic ago quam maximas. Neque minorem habeo gratiam Eduardo Hiller, professori Halensi, propter summam in me humanitatem et benevolentiam.

FRANCISCO BUECHELER.

De S. Propertii vita et librorum ordine temporibusque.

Elegia Romani non solum eandem quam Graeci quos imitati sunt gloriam assecuti sunt, sed nisi omnia fallunt maiorem. Certe non vilissima pars laudis quam litteris Augustea aetate Romae florentibus debemus ereptis Tibulli Propertiive carminibus evanesceret. Suo iure Quintilianus (inst. or. X. 1, 93) gloriatur: 'elegia quoque Graecos provocamus cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus, sunt qui Propertium malint'. In his C. Plinius Secundus fortasse ponendus est qui ep. IX. 22 de Passenno Paullo dixit: 'in litteris veteres aemulatur exprimit reddit, Propertium imprimis, a quo genus ducit, vera suboles, eoque simillima illi in quo ille praecipuus. Si elegos eius in manum sumpseris leges opus tersum molle iucundum et plane in Propertii domo scriptum'. Nos hac quidem quaestione supersedebimus, gaudentes utrumque esse servatum. Felicior tamen Tibullus Propertio fuit, non solum ipse vivus, sed etiam memoria defuncti. Nam cum de vita Tibulli non quidem quantum cupiveris tamen quaedam certa, ipsius aliorumque testimoniis non spernendis, sciamus, paene omnia quae de Propertii vita hodie narrantur coniecturis virorum doctorum nituntur iusto hic illic audacioribus; multa scitu dignissima tenebris densissimis sunt obvoluta. Annum nec natalem nec fatalem scimus. Pauca ipse de se horoscopum illum in prima quinti libri elegia dicentem facit (Hauptii editione usus sum quam Ioh. Vahlen anno 1879 quartum publici iuris fecit). Pauciora quam ab ipso ab Ovidio comperimus. Tibulli mortem elegia pulcherrima luget, Propertium satis habuit sodalem suum vocasse et sescentis locis imitando expressisse. Martialis (ep. VIII. 73 et XIV. 189) et Statius (silv. I.

2, 253) nomen poetae commemorant, quamquam ne hi quidem sine fructu carmina eius lectitabant. Propertii versus III. 22, 5 et Statii v. silv. III. 5, 66 miro modo inter se conveniunt. A Quintiliano et Plinio minore iudicia quaedam de poeta inter antiquos circumlata, praeterea de eiusdem posteris nonnulla tradita accepimus. Primo post Christum saeculo multos Propertii carmina legisse inscriptiones Pompeianae docent, cf. Hauptii op. II. p. 111. Post primum saeculum volgo neglectus iacebat, pauci ei operam dare perrexerunt. Apuleius Cynthiae verum nomen tradidit. Ex christianis auctoribus Lactantius Propertium legit: Prop. vv. V. 1, 11—14 profert (div. inst. II. 7.). E grammaticis Nonius v. IV. 21, 14 e Propertio petivit (p. 169, 28); Charisius quater de Propertio loquitur cf. Keilii gramm. lat. vol. I. p. 67, 13. 89, 22. 103, 16. 107, 27; vv. III. 14, 1. III. 13, 35. IV. 11, 15. III. 33, 37 profert. Diomedes bis illum in partes vocat (K. I. p. 369, 22 et 484, 21); versus IV. 8, 37 et 11, 15 tradidit. In Caesii Bassi qui fertur tractatu metrico Propertii v. II. 1. 2 legitur (K. VI. 264). Donatus in vita Vergilii (Reiff. Suet. p. 61) vv. III. 34, 65 sq. transcripsit. Servius non sine levitate quadam de Propertio rettulit duobus locis, ad Ecl. 5, 21 et Georg. I. 19; videtur illa ex penu Propertiano quem memoria tenebat prompsisse, ergo certe lectitabat illum. Item Macrobius bis Propertii meminerat: de diff. et societ. graeci latinique verbi 21, 7 et de verbo 8, 15; versum II. 3, 24 transcripsit. Fulgentii tamen duplici testimonio id fere evincitur nomen poetae nostri ei notum fuisse, auctoritas huius hominis prorsus nulla est, videtur ea quae sub Propertii nomine tradidit audax ipse conscripsisse, unde iure conligitur prorsus ignota Propertii carmina illius tempore fuisse. Nam quae secuntur testimonia non ex ipsius Propertii lectione originem duxerunt. Priscianus eundem quem Diomedes versum IV. 8, 37 tradidit (Hertz I. p. 536), sine dubio eum ex Diomede transcripsit. Isidorus in Orig. XVIII. 4, 1 Propertii v. V. 1, 13 ex Lactantio recepit. Is qui tractatum qui inscribitur 'De dubiis nominibus' scripsit a Keilio in quinto grammaticorum volumine editum, qui Isidoro posterior vixit, ex Charisio vv. III. 13, 35 (p. 588, 5) IV. 11, 15 (p. 576, 22) arripuit; versum V. 10, 44 (p. 592, 5)

[redacted]

quin in alio aliquo grammatico invenerit non dubito. A paucissimis igitur post primum saeculum Propertii carmina quae legerentur digna iudicata esse apparet. Post quartum vero saeculum nemo ne grammatici quidem operam ei dederunt. Iam vero Huschkius primus (in 'epistula critica in Propertium ad L. van Santen' Amst. 1792 p. 37 sqq.) vestigia Ruhnkenii secutus (cf. eiusdem ep. crit. I. p. 40 sqq.) contendit Paullum Silentiarium qui Iustiniani tempore Byzantii varia carmina elegiaca, plurima epigrammata composuit, Propertium non solum novisse sed etiam imitando expressisse. Coniecit hoc plaudente quidem Hertzbergio (qu. Pr. p. 230) assentiente Duebnero (Anth. Pal. I. in adnot. ad c. V. 275) L. Muellero quoque adstipulante (praef. ed. p. 4), coniecit hoc tamen re vera ingeniosius quam verius. Per se parum probabile est poetam inde a quinto saeculo in Italia ignotum fortasse propter obscuriorem sermonem a multis neglectum, a Graecis Byzantii lectitatum esse, quibus in eroticis rebus alii fontes praesto erant uberrimi. Verum agitur praecipue de carminibus Sil. VII et XII. (Iacobs anth. gr. IV. p. 43 sqq. Duebneri I. V. 255, 275) quibus ille Propertii elegias I. 13 et I. 3 imitatus esse creditur. Iam qui ex illius carmine V et Agathiae carmine VIII (Iacobs IV. p. 6) coniunctis novum carmen conflabit, si non ipsum carmen Paulli duodecimum, simillimum tamen efficiet. In illis vero nemo hucusque imitationis vestigium deprehendit. Eiusdem Agathiae cum alia passim carmina tum in carmine XXVIII componendo undecimum ante oculos habuit. Agathias vixit Suida teste Paulli aequalis: *συνήκμασε δὲ Παύλῳ τῷ Σιλεντιαρίῳ καὶ Μακεδονίῳ τῷ ὑπάτῳ καὶ Τριβουνιανῷ ἐπὶ τῶν Ἰουστινιανοῦ χρόνων.* Amici illi fuerunt. Agathias vero nusquam e Propertio quicquam desumpsit; de Silentiario tamen Ruhnkenii iudicia probo qui ep. cr. p. 44 dicit quicquid fere egregii habeat Silentiarius ab antiquioribus epigrammatum scriptoribus eum hausisse et p. 40 non dignum eum esse laude quae passim de eo feratur. Nec ita multa sunt quae communia habent Propertii Silentiariique elegiae: amata dormit, amator conatur adire, amata expergefit et querelas emittit. Argumenta similia sunt, locutiones et verba diversissima. Fortasse ille vv. 21, 3 sq. (Prop. I. 3, 19 sq.)

carmini duodecimo inseruisset. Suam amator libidinem magis quam puellae pulchritudinem spectat; vv. 3 et 7 ipsi fortasse gravissimos ex Propertio non desumpsit. Fortasse magis etiam loquacitati suae indulsisset Paullus Propertium secutus. Plane enim contraria ratio inter carmina Paulli VII et Propertii I. 3 intercedit. Ex quattuor quinqueve Propertii distichis vv. 15—22 vel 24 duplicem ille numerum effecisse fingitur. Similitudo quaedam in insano amoris ardore velut e tabula picta desumpto deprehenditur. Eiusdem tamen modi amoris descriptiones miro modo inter se similes sat multas Iacobsius ad hoc carmen contulit (anth. XI. p. 126). Simillimi sunt loci Themistii or. XXII. 272, Xenoph. Eph. I. 9. p. 16, Lucretii vv. IV. 1103 sqq. Simillima etiam Aristaenetus in epistula I. 16 praebet: *τοιγαροῦν ἐκβακχευθεῖσα τῷ ἔρωτι ἀνέκλασέ τε πρὸς ἑαυτὴν τὸν αὐχένα καὶ πεφίληκεν οὕτω προςφῦσα μανικῶς ὥστε μόλις ἀποσπάσαι τὰ χεῖλη*, compares Prop. el. I. 13, 19 sq.:

'Non ego complexus potui diducere vestros,
tantus erat demens inter utrosque furor.'

Haec proxime inter se absunt. Iam vero Aristaenetus quam multa ex Alexandrinis hauserit Diltheius in libro quem scripsit de Callimachi Cydippa illustravit p. 27 sqq. Si Propertius Silentiario ante oculos fuisset, non ineptam ille Achillis et Phoebes comparationem carmini inseruisset sed ut Propertius ipsum ardorem heroico aliquo amplexu erotico illustrasset. Similior fuit Herculis et Omphales amor, cf. Prop. vv. IV. 11, 17 sqq. V. 9, 47 sqq. Versus nonus Paulli cum Apollonii Rhodii v. Arg. III. 874 congruit, fortasse casu. Nudae tamen quae sequitur repetitioni meliora substituere potuisset Propertium secutus. Iam nova comparatio e natura petitur. Plantarum amoris ab Alexandrinis in partes vocati quaedam vestigia Aristaenetus servavit in epistula I. 10 ex Callimacho transcripta. Dicit Acontius: *ἀλλ᾽ ὦ φίλτατα δένδρα τῶν ἡδυφώνων ὀρνίθων οἰ θῶκοι, ἆρα κἀν ὑμῖν ἐστιν οὗτος ὁ ἔρως καὶ πίτυος τυχὸν ἐράσθη κυπάριττος ἢ ἄλλο φυτὸν ἑτέρου φυτοῦ; μὰ Δία, οὐκ οἶμαι* etc. Propertius uno loco eundem colorem habet in vv. I. 18, 19 sq.:

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores

fagus et Arcadio pinus amica deo.

Similiora habet Ovidius ep. V. 47 sq.:

Non sic appositis vincitur vitibus ulmus
ut tua sunt collo bracchia nexa meo.

Fortasse ex Catullo haec sunt desumpta, quamquam Zingerleius (Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern) haec omisit. Catullus enim dicit vv. 61, 106 sqq.:

Lenta quin velut adsitas
vitis implicat arbores,
implicabitur in tuum
complexum et q. s.

idem antea dixit vv. 61, 33 sqq.:

mentem amore revinciens
ut tenax hedera huc et huc
arborem implicat errans.

Alexandrinis Catullus haec debet nec ego dubito quin Paullus Silentiarius quae cum Propertio communia habet ipse ex Callimacho sumpserit, cuius gloria quanta apud hos epigrammatum scriptores fuerit carmen adespotum 565 (Iacobs anth. IV. p. 236) docet. Argumenta potius in Propertio et Silentiario similia, eidem colores deprehenduntur quam eaedem locutiones vel verba. Possunt inter se comparari carmina et versus Sil. 36,1 sq. et Prop. III. 30,1 sq. Sil. 12 et Prop. I. 3, Sil. 17 et Prop. I. 2, Sil. 20 et Prop. III. 12, Sil. 30 et Prop. III. 15,25 sqq. Potuisset ille in vv. 16,5 sq. scribendis quaedam discere ex Prop. vv. IV. 13,49 sq. Fortasse Propertii illud 'pedibus fulcire pruinas' in v. I. 8,7 et Silentiarii ἴχνος ἐρείσεις ex eodem fonte profecta sunt. Suspicari licet Propertium multo plura quam scimus Alexandrinis debere, quaedam ut vv. IV. 13, 43 sqq. ex Leonida Tarentino ad verbum transcripsisse. Vestigia Alexandrinorum per totam anthologiam Graecam dispersa sunt. Videntur in eroticis rebus illi usque ad novissima antiquitatis saecula principes imitationeque dignissimi iudicati esse.*

* De universa hac re nunc consulere licet: Mallet, Quaestiones Propertianae, diss. Götting. 1882.

Per totum medium aevum nulla Propertii mentio reperitur usque ad Petrarcae aetatem. A Petrarca tenebris ereptus poeta anno 1472 Venetiis typis expressus et publici iuris factus est. Multae inde editiones secutae sunt. Nostro tamen saeculo Lachmannus primus et critices firma subsidia suppeditavit et quantum ad vitam Propertii cognoscendam ipsius aliorumque testimoniis acerrime excussis profici posse videbatur profecit in editione Propertii quae anno sexto decimo nostri saeculi Lipsiae prodiit, cuius vestigia omnes fere editores, ut Caruttii nugas neglegam, presserunt. His praemissis ipsam Propertii vitam retractandam adgrediamur.

Unum Propertii nomen libri manuscripti Groninganus et Neapolitanus praebent, quo solo nomine poeta ipse se vocat in vv. II. 8, 17. III. 24, 35. 34, 93. IV. 3, 17. 10, 15. V. 1,71. 7, 49. Reliqui tamen libri manuscripti deterioris notae plurimi cum editionibus vetustioribus omnibus tria habent, poetam vel Sextum Aurelium Propertium vocant, vel Sextum Propertium Aurelium vel Propertium Aurelium. Praenomine Sextum poetam Donatus quoque in vita Vergilii (Reiff. Suet. p. 61) appellat. Aurelii tamen nomen poetae adimendum esse primus Hauptius vidit (Berichte der sächs. Gesellschaft 1849. p. 260 sqq.). Verum sibi invitus praedixit Propertius v. IV. 1, 24:

'maius ab exequiis nomen in ora venit'.

Poeta aut duo nomina gentilicia habuisset aut altero pro cognomine usus esset, neutrum credibile est. Una inscriptio, ut apertas fraudes neglegam, ne ipsa quidem extra omnem dubitationem posita, coniungit 'Aurelius Propertius'. Originem nominis Aurelii in nostri poetae Aureliisque Prudentii nominibus confusis Hauptius invenisse sibi visus est (cf. op. I. p. 286). Ergo Sextus Propertius poeta vocabatur. Nomen Propertii non raro occurrit in inscriptionibus quarum Hauptius maximam partem conlegit (op. I. 281 sqq.); plurimae Asisii sunt inventae. Accedunt nonnullae inscriptiones in CIL (vol. V. IX. X.) receptae. Multi Propertii sunt liberti qui cognomine aut carent aut Graeco utuntur. Paucis Propertiis Fortunae ampla dona contigerunt. Servius ubi de lucis Capenis loquitur ad v. Aen. 7, 697

[redacted]

Propertii regis mentionem facit. Non cunctatur Vulpius Barthio probante poetae regem illum gentis auctorem ponere, eodem fere iure quo Gruppius vv. Prop. V. 1, 77 sqq. perversissime intellectis demonstrare voluit poetam extra Italiam natum esse apud Iudaeos Chaldaeosve (Röm. Elegie vol. I. p. 361—363). Deinde Propertius Celer vir senatorii ordinis commemoratur a Tacito ann. I. 75, quocum potuerunt aliquo modo cognati esse Propertii Profuturus et Augurinus (inscr. Wilm. 135). Nostro poetae nihil praeter nomen cum his hominibus commune fuit. Nam nobilis certe poeta non fuit; ne eques quidem fuisse videtur. Cognomen desideratur. Ipse de se dicit vv. III. 24, 37 sq. . . . quamvis nec sanguine avito

nobilis et quamvis haud ita dives eras,

et v. 49: noli nobilibus, noli conferre beatis,

et vv. III. 34, 55 sq.

adspice me cui parva domi fortuna relicta est
nullus et antiquo Marte triumphus avi;

eidem sententiae favet carmen IV. 9 quo equitem Maecenatem celebrat atque ut ille sua condicione contentus fuerit ita sibi quoque ut suis studiis indulgere liceat precatur. Bulla aurea versus V. 1, 131 nihil docet nisi ingenuis parentibus Propertium natum esse, quod luculentissime demonstant Cicero in Verrem act. II. lib. 1. c. 58 et Pseudasconius ad eundem locum. Etiam v. V. 1, 121

'Umbria te notis antiqua penatibus edit'

et v. 134 'et vetat insano verba tonare foro'

tantum docent eum gente inter municipales nota claraque editum fuisse. Passennus Paullus splendidus ille eques, de quo Plinius loquitur ep. VI. 15, qui inter maiores suos Propertium numeravit potuit adoptione hunc splendorem equestrem a poeta nostro ut videtur alienum adipisci ut recte Hertzbergius iudicavit. V. III. 13, 19

nec mea tum longa spatietur imagine pompa,

ubi Propertius volpis in fabula exemplum secutus honores plane sibi denegatos spernere videtur potest ita expediri ut dicamus: oppositionis potius causa eos qui veram aut fictam imaginum seriem fastuosi iactabant perstrinxit.

Ergo Propertius eques quidem fuisse non videtur, natus tamen est parentibus potentia et divitiis inter municipales insignibus cf. vv. V. 1, 121—129. Patria Propertii erat Umbria, cf. vv. I. 22, 9. V. 1, 64, 121. Natus est Asisii ut primus Lachmannus recte docuit (Zeitschr. f. geschichtl. Rechtswissenschaft XI. p. 117). Traditum quidem est Asis in v. V. 1, 125, quod vocabulum pro montis nomine Hertzbergius tenuit quamquam hic mons in tota antiquitate nusquam adparet, ne oppidi quidem nomen in libris huius temporis geographicis extat, incolae tamen Asisinates commemorantur a Plinio nat. hist. III. 19, idem in inscriptionibus 98,1250,1781,6126 apud Orellium. Praeterea Passenni Paulli, cuius ut sobolis Propertii Plinius mentionem fecit, titulus sepulcralis Asisii inventus est, cf. Hauptii op. I. 280 sqq. Aliis eodem loco conlectis inscriptionibus Asisii repertis demonstratur Propertiorum gentem Asisii floruisse. Ergo in v. V. 1, 125 sine dubio pro Asis recte Asisii scribitur. Nec hic locus pugnat cum vv. I. 22, 9 sqq. Non enim 'supposito campo' pro dativo acceperim, quod Hertzbergio placuit (quaest. p. 5) et Voigtio (de IV. Propertii libro p. 27); pugnarent enim 'proxima' et 'supposito'. Poeta scripsit elegiam I. 22 Romae et dixit Tullo: quaeris ubi natus sim; nosti Perusiam nostro sanguine nuper perfusam, proxima pars Umbriae Perusiae supposita me genuit, infra Perusiam sita. Nec campus idem est quod planities; ipse poeta dicit v. V. 1, 123

'qua nebulosa cavo rorat Mevania campo'.

Quibusdam ex similitudine vv. V. 1, 65 sq. et 121 sqq. scrupulus natus est nec timuerunt hanc et alias similes ob causas huius carminis partem posteriorem spuriam pronuntiare ut Heimreichius, Eschenburgius, Luetiohannes, Caruttius. Quia plurima ab hoc carmine suppeditantur ad Propertii vitam cognoscendam pauca de eo adicio. Recte Lachmannus inde a versu 71 novum carmen incipere iussit, recte idem addit p. 330 'tam enim serio agit a principio ut omnia risus causa conficta esse non possim credere'. Non recte idem opinatus esse videtur plane diversis temporibus, aliis carminibus interpositis, duas elegiae partes attribuendas esse, quod tamen multi illo auctore crediderunt. Primi carminis libri quinti vv. 1—70 pro prooemio scripti

sunt totius libri. Serio rem tractat usque ad finem, nihil ioci inest nec legitimus finis desideratur, immo post versum 70 nihil omnino nec desideratur nec expectatur. Sequitur novum carmen plane diverso argumento. Per totum carmen hoc unum tendit ut irrideat universum genus horoscoporum, nihil serio dicitur, omnia plena sunt ludibrii, salis, aceti. Ineptissime etiam duae partes iunctae sunt. Se fata dicturum esse nusquam dixit poeta in priore parte, nec altera pars quicquam aliud quam vaticinia praebet. 'facta' libri Groningani et Hertzbergii nihili est, nec quicquam lucramur Voigtii coniectura 'festa' pro 'fata' scribi iubentis (p. 35), hoc enim vocabulo versus cum antecedentibus coniungitur, pessime a sequentibus secernitur. Carmina simili ratione inter se coniuncta sunt qua carmina III, 23 et 24. Uno enuntiato ex carmine antecedenti arrepto novam elegiam novo atque hoc loco plane diverso argumento adnectit. Ipse poeta in vv. V. 1, 53 sq. fatidici munus susceperat. Fortasse amicus eum propter illud vaticinium, qualia tum temporis in triviis decantabantur, quamquam ille duorum versuum ambitum non excesserat, increpuit. Poeta, sive ut se defendat, sive astrologis iratus, a suo ipsius vaticinio profectus totam horoscoporum et astrologorum artem irridet perfricatque. Ergo quasi poeta iam defecerit ad fatidicos poetas interlocutor aliquis fictus poetam revocaturus 'tu quoque', increpat, 'vaticiniis aures nostras vexabis?' cui poeta veri astrologi fastu instructus gloriose respondet: 'nihil time, ego sum verus vates, scientiae plenus, principes artis meae inter stirpis auctores habeo, nec ego hercle minoris illis aestimandus sum, alii sane deos vendunt invitos nummis cuilibet optata canentes, quae nunquam futura sint, mei libri (non dicit mea verba vel enuntiata) fidem tenent incorruptam.' Nihil haec sunt nisi ludibria. Pergit ille gloriosus horoscopus: 'ego is sum cui vaticinia debentur qualia 'Troia cades' etc. nec quicquam a me stellis inspectis pronuntiatum irritum fiet.' Expectamus post stellarum enumerationem novum aliquod et inauditum vaticinium; vilissima, prorsus ridicularia, aurium illo tempore tormenta adparent. Secuntur quae ille vera se praedixisse gloriatur, merae nugae: 'non posse ad patrios sua pila referre penates'.

Verum praedixit, patre enim defuncto pueri si redissent non ad patrios penates sed ad matris deos redissent illius divini vatis ex sententia cf. v. 132. Poterat etiam accidere ut suis pilis in hostium corporibus relictis vel permutatis vel amissis in patriam redirent. Ne cecidere quidem in acie pueri ut illo vaticinio praedici videbatur, sed potius casu quodam uterque periit. Miror L. Muellerum qui in indice editionis suae p. 124: Gallum filium Arriae hominem qui vere vixerit eundemque Gallum esse putat de quo agitur in carmine I. 21. Docet Propertius qualia vaticinia, nostra aetate digna, tum temporis edi solita sint. Verba 'vera sed invito contigit ista fides' in ore horoscopi sinceram misericordiam spirant, in ore poetae cavillationem acerbissimam. Festivum est sequens vaticinium; cum Lucina Cinarae traheret dolores iussit Iunoni vota fieri. Quo tempore illa paritura esset nescivit, ne medicinae quidem ullius mentionem fecit. Nonne stolidissima puerpera cui Lucina dolores trahebat Lucinam votis adeundam esse scivit? Facete duo nomina eiusdem deae diversa adhibentur. Sequitur 'illa parit'. Numquid aliud factura erat? Sed audi quantopere ille huiusmodi vaticiniis glorietur: talia non potest Iuppiter Ammon proferre aut haruspices ex animalium fibris deorum iussu edere, neque ex cornicibus neque ex umbris sepultorum talia elici possunt, talia nemo nisi astrologus vel horoscopus qualis ego sum proferre audebit; quae ut illustret iterum fabulae vexantur tritissimae. 'Non rediere tamen Danai' ille gloriose proclamat. Tum ipsi Propertio vaticinaturus ut fidem amplissimam ille sibi habeat primum fata eius praeterita ab unicis stellis doctum se scire ostendit. Prorsus idem hodierni horoscopi faciunt. Iterum ludibrio habetur horoscopus eo quod Propertius et horoscopus sunt idem homo, ergo Propertius ipse sibi vaticinaturus sua fata praeterita evolvit, quae nemo ne di aut stellae quidem ipso melius scire poterant. Accedit quod ea quae de fatis poetae praeteritis narrantur ea sunt quae nemini certe Romae ignota fuerint. Nihilo minus epica vel tragica dictionis maiestas sequitur:

'incipe tu lacrimis aequus adesse novis'.

quasi nova μῆνις Ἀχιλλέως secutura sit, nec deum aut musas advocat sed se ipsum.

Quae horoscopus de Propertii vita profert, eorum quaedam consentiunt cum iis quae aliis locis ab ipso Propertio dicta reperimus, cf. vv. 125 sq. et vv. 65 sq., eiusdem carminis vv. 121—124 scribere poterat qui legerat vv. I. 22, 9 sq.; vv. 135 sqq. poterant ex carmine IV. 3 hauriri; vv. 135—146 sine dubio ipsius Apollinis sunt verba, horoscopus enim non solum ipse vaticinatur sed etiam deorum vaticinia scit, praeterita nimirum; etiam vv. 143—146 poterant consarcinari ex similibus Propertii locis. Nihilo minus ille gloriatur: 'vides quanta sim fide dignus'. Nova quaedam vv. 122 sqq. adduntur quae horoscopus facillime a quolibet homine poterat comperire. Multus est in Propertii amoribus, quippe qui uberrime poetae carminibus descripti et omnibus, horoscopis quoque, noti erant. Aut tamen fallor aut poeta qui in fine antecedentis libri Cynthiam dimiserat in corde suo ei reconciliatus est et denuo Amoris telis laceratur, vv. 141 sq. in hanc sententiam interpretandos esse puto. Fortasse certus aliquis astrologus perstringitur poetae inimicus Cynthiae non ignotus, qui fortasse vere aliquo tempore futura utrique praedicere iussus erat, qui tamen sive solo horoscopi sive etiam lenonis munere usus Propertium laeserat, quem poeta ut lenam quinto carmine non quidem execrationibus et maledictionibus sed ludibriis ulciscitur. Lepide tandem horoscopus in fine carminis ipsum vaticinium uno versu adiungit tribus tamen versibus inani pompa praemissis:

'tu octipedis cancri terga sinistra time',

vaticinium hercle hoc vate dignum. Potest hic cum Tiresia in Horatii satira II. 5 dicere:

'O Laertiade quicquid dicam aut erit aut non,
divinare etenim magnus mihi donat Apollo'.

Cur hoc carmen in suspicionem vocemus aut cur non fidem habeamus astrologo narranti vitam Propertii praeteritam vel potius poetae suam ipsius, prorsus nulla reperitur causa.

Iam lubrica de anno poetae natali quaestio instituenda est.

Natu minor est Tibullo, maior Ovidio, hic enim dicit Trist. vv. IV. 10, 51 sqq.:

Vergilium vidi tantum nec amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae.
successor fuit hic tibi Galle, Propertius illi,
quartus ab his serie temporis ipse fui.

Natus igitur est poeta intra annos 700 et 712. Quinque annos, ut ipse testatur, v. IV. 25, 3, fideliter Cynthiae servivit, totum tamen in annum pulsus est, ut ex versu IV. 16, 9 apparet, quod discidium intra primum librum paene finitum et alterum scribi coeptum cadere vv. I. 1, 7—8 efficitur:

'et mihi iam toto furor hic non deficit anno
cum tamen adversos cogor habere deos',

quos versus recte Lachmannus de Cynthiae amore per totum discidii annum infeliciter quaesito intellexit. Nullum vestigium est quo efficiatur eos praeter hoc discidium in quarto libro commemoratum per aliud non minus longum tempus disiunctos fuisse. Quinto fidelis amoris anno peracto Cynthiam dimisit. Hoc quinquennio discidii annum et qui anteibant amoris annos non comprehendi recte Lachmannus dixit; neque ipso discidii anno neque ante hunc annum tum cum peccavit fideliter amavit. Nec illo carmine IV. 25 mentitus esse videtur, innocentiam enim suam omnino in suspicionem vocandi ipse ansam dedisset. Ergo per quinque annos libri secundus tertius quartus scripti sunt. Iam si temporum rationes per hos libros persequimur carmen III. 31 anno 726 scriptum esse iudicandum est a. d. IX. Cal. Nov. quo die templum Apollinis Palatini ab Augusto dedicatum est, c. IV. 18 vero non minus certe sub finem anni 731 compositum esse, quo tempore Marcellus sororis Augusti filius mortuus est Cassio Dione teste 53, 30 et 33, Vell. Pat. 2, 93. Quaedam tamen carmina hoc quinquennium annos 726—731 excedunt. Falso quidem, ut hoc primum absolvam, Lachmannus et Eschenburgius (l. misc. p. 99) et Luetiohannes (comm. Prop. p. 77 sqq.) carmen III. 10 sub finem amoris vel etiam postea, hoc est anno 731 vel 732 compositum esse volunt. Levissime praeter Hertzbergium omnes interpretes versum III. 10, 16 tractaverunt. Non plus unam expeditionem Au-

gusti auspiciis in Arabiam factam esse monumento Ancyrano evincitur. Dio de eo loquitur c. 53, 29. Expeditio infeliciter suscepta est anno 729/730, ergo hic versus:

'et domus intactae te tremit Arabiae'

non potuit post hanc expeditionem suscipi coeptam scribi, siquidem ne unum quidem vestigium reperitur Arabiam intactam frustra temptatam Augustum timuisse. Ergo aut insolentissime unoquoque verbo Augustum sciens irrisit, aut carmen sub finem anni 729 tum cum bellum Arabiae imminebat scriptum est. Eodem anno 729 legati Indorum et Scytharum Tarraconem venerunt ad Augustum teste Orosio VI. 21: 'toto orbe transmisso tandem ibi invenerunt, ultra quod iam quaerere non possent .... refuderuntque in Caesarem Alexandri Magni gloriam .... supplex cum gentilicio munere eous Indus et Scytha boreus oravit'. Suo iure de Parthorum timore gloriari Augustus poterat qui inde ab anno 725 eius amicitiam petere non desierant; se signa Crassi pace recepisse gloriatus est teste Dione c. 54, 8. Septimus autem carminis versus ne tribus quidem annis post maiore cum iure a poeta scribi potuit, qui in v. IV. 9, 57 dixit:

'mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae'.

Videtur poeta tristi quo saepe scribit animo non multum vitae sibi restare exprimere voluisse. 'Servent hunc mihi fata diem' dicit in v. 20. Sunt quaedam tamen carmina in quarto libro quae anno 732 composita esse videntur. Hoc satis probabiliter de carmine IV. 12 contenditur. Anno 727 Roma Augustus profectus est in bellum, nec ante annum 730 revertit, tum biennio Romae peracto anno 732 denuo egressus est. Versus IV. 12, 1, 2, 19 illum annum sibi poscunt. Minus probabiliter eidem anno carmina 4 et 5 ab interpretibus adscribuntur. Paratur quidem bellum Parthicum. Sed huius belli continua adparatio nunquam intermissa inde ab anno 725 fere usque ad annum 732 apud poetas quidem deprehenditur. De Parthis igitur solito more ut quandocunque bellum imminebat triumphatur cf. Hor. c. I. 12, 53 sqq. Inde ipse iudices de pace quam Hertzbergius (qu. P. p. 15) volt fuisse usque ad annum 732 inter Romanos et Parthos Dione teste c. 53, 33.

Frustra ut crederem mihi persuasi quod Dio narrat, anno 731 Augustum Phraatis filium reddidisse patri sub ea condicione ut signa remitterentur. Mommsenus postremus de hac re disputavit in altera editione monumenti Ancyrani p. 135 sqq. Hic ex Dionis et Iustini (c. 42, 5) testimoniis inter se discrepantibus hoc elicuisse sibi videtur Tiridatem profugisse anno 724 in Syriam, cum filio Phraatis arrepto ad Augustum venisse anno 728/729, filium ab Augusto redditum esse anno 731. Cur accepit filium remissurus bono animo precibus Parthici regis cessurus? Nonne hoc pessime consentiebat cum Romanorum belli et triumphi Parthici continua expectatione? An Parthica fides adeo spectata fuit ut timori ut quae speraret acciderent omnino non esset locus? Si Augustus filium reddidit, eum statim, ut Iustinus narrat, reddidit postquam accepit, ita ut omnino eum non accepisse posset videri et utriusque (Tiridatis et Phraatis) studiis contentus (Dio c. 51, 18) et Parthicum bellum, cui eo tempore quo accepit et reddere iussus est, fortasse non par esse sibi videbatur, evitaret, nec tamen gloriam suam apud Romanos minueret. Filios suos Phraatem postea Romam obsides misisse (anno nono ante Christum natum) omnes scriptores una voce, quasi nunquam unus ex iis in Romanorum potestate fuerit, nuntiant Vell. Pat. c. 2, 94, Iust. c. 42, 5, Iosephus arch. c. 18, 2, 4, Mon. Ancyr. (Momms. p. 141), quocum non plane consentit Tacitus ann. II. 1; videtur hic paelicis filium excipere. Dio neque huius rei mentionem fecit, neque tradidit unum ex Phraatis filiis Vononem postea a Parthis arcessitum esse regem cf. Ios. Tac. Mon. Anc. Utut haec res est carmen IV. 4 eo potius tempore scriptum est quo expeditionis in Arabiam vel in Aethiopiam suscipiendae rumor Romae ibat, quam utramque Augustus in indice dicit eodem fere tempore suo iussu et auspicio factam esse. Anno 731 (vel 732) expeditio in Aethiopiam a Petronio suscepta est quae tamen iam anno 730 (731) parabatur; regina enim Aethiopum Romanorum copiis in Arabiam profectis anno 730 Aegyptum invaserat, ergo scriptum est hoc carmen aut anno 730, aut, quod fortasse veri similius est, anno 729, quo anno bellum in Arabiam parabatur, cuius divitiae pro

proverbio erant et in quam ut transirent navibus utebantur. Nec obest quod Augustus tum Romae non versabatur, ipsa fama huius belli Romanis maximum movit stuporem. Ergo eodem tempore quo Hor. c. I. 29 scriptum est.

Eidem anno 729 carmen IV. 5 assigno. Iam vero carmen IV. 18 anno 731 exeunte scriptum est, carmen IV. 12 anno 732 scriptum esse videtur, nec ego haec carmina posteriora esse crediderim carminibus 24 et 25, quippe quae in amoris decursu et in carminum ordine omnia legitimi finis signa prae se ferant. Aperta discordia carminis 18 tempore nondum orta erat, alioquin ille ad Augusti facta canenda revocatus aliud carmen quam hanc tenuem de immutabili fato querelam emisisset. Amore vero carmine IV. 24 finito poterat librum edendum absolvere, deinde carmen 25 addere ut Cynthiam doceret plane extinctum amorem nullo modo ne lacrimis quidem refici posse. Quae omnia si recte disputata sunt finis amoris et quinquennii est annus 732 medius vel extremus. Ante annum 734 carmen 22 scriptum est; illo enim anno Cyziceni propter tumultus quosdam ab Augusto libertate privati sunt teste Dione c. 54, 7, quam rem poeta non tacito praetermisisset, circa annum 735 vero carmina quinti libri complura scripta sunt. Ergo quinquennium incipiebat ab anno 727, et antecedens annus discidio occupatur. Sed carmina II. 7 et III. 31 anno quidem 726 nec tamen discidii tempore scripta esse videntur. Verum quis demonstrabit Cynthiae poetam in carmine III. 31 tardiorem venire? Hoc carmen epistula est quam amico alicui absenti qui poetam invitaverat, vel fortasse novae amicae misit. An credamus quemquam Romae versantem ignorasse templum Apollinis dedicatum iri nec ipsum potuisse ad templum adire, eaque omnia quae poeta scribit multo melius suis oculis videre? Sin Cynthia sive Romae sive extra Romam illo tempore vitam degens poetam aut expectasset aut venire iussisset, ille hercle totum Apollinem Palatinum non moratus celerrimo cursu advolasset, cf. c. IV. 16. Sin Cynthiae hoc carmen non scriptum est, potuit discidii tempore scribi nec insertum est libro primo quia levius videbatur et argumentum brevi post obsoletum erat, fortasse etiam ne novae amicae scriptum esse vide-

retur. Probabiliora haec videbuntur, ubi perlegeris quae de altero et tertio libro postea loquar. Carmen II. 7 non ante annum 727 medium scriptum esse puto. Scriptum enim est me iudice absente Augusto quem poeta unoquoque fere versu irridet, lege vv. 5 sq.: . . . . . quamvis diducere amantes
non queat invitos Iuppiter ipse duos,
at magnus Caesar, sed magnus Caesar in armis,
devictae gentes nil in amore valent.

Augusti de matrimoniis ineundis legem aliquam eludit. Ita fere loquitur: 'Extrema pernicie paene perii, Cynthiam dimittere coactus; sed ne Iuppiter quidem amantes diducere potest; at magnus Caesar potest, sed ille bella gerere scit, in amore nihil scit; egone legitimi matrimonii ferrea vincula subibo? Minime gentium, Cynthiae furtivus amor mihi pace Augusti eiusque legum semper placebit, dummodo ego illi placeam, Augustus ipse liberos quot poterit tollat et educet Parthicis triumphis'. Talibus versibus suum furtivum amorem legitimo matrimonio anteponere praesente Augusto ne secreto quidem ausus esset. Tum cum lex rogabatur domi cum Cynthia lacrimas effundebat (v. 2), non audebat quicquam contra dicere, praesens enim Augustus erat, et poeta fortasse iam inter Maecenatis amicos receptus erat. Ergo brevi post legem quam rogaverat sublatam Augustus Roma profectus est, quo facto poeta elegiam II. 7 scripsit. Tertia de matrimoniis lex duabus frustra praemissis Augusti auspiciis rogata est a consulibus Papio et Poppaeo. Ipse Augustus hoc testatur in oratione a Dione tradita c. 56, 7, 3, dicit enim: . . . *ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον τρία ἔτη ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα τὸ δὲ δεύτερον δύο· ἀλλ᾽ οὐδὲν οὐδ᾽ οὕτως οὔτ᾽ ἀπειλῶν οὔτε προτρέπων οὔτ᾽ ἀναβαλλόμενος οὔτε δεόμενός τι πεποίηκα.* Tertia lege anno 762 perlata unum annum caelibibus dedit quo uxores ducerent et poenas evitarent. Alteram antecedentem legem anno 736 perlatam esse ante Horatii carmen saeculare (cf. vv. 17 sqq.) plurimi hodie opinantur. Dio ad annum 736 c. 54. 16 tradit: *τοῖς δὲ ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν.* Omnibus ingenuis eadem lege praeter senatorum filios conubium cum libertinis dedit, inde

nomen legis 'de maritandis ordinibus'. Tertia lex quae restat annum 736 praecessisse censenda erit. Aliter iudicavit Heineccius (comm. ad leg. Iul. et Pap. Popp. p. 48) quem secuti sunt Hoecius (Römische Geschichte I. 2 p. 337) et Puchta (Institutionen I. p. 297 ed. VIII). Hi ambo vacationum spatia priora coniungunt ita ut lex de maritandis ordinibus anno 736 frustra rogata anno 757 perlata anno 762 aucta triplici vacatione continua triennii biennii anni ab anno 757 usque ad annum 763 irrita fuerit. Primum quod censuerunt viri docti legem anno 736 non esse perlatam nullo prorsus testimonio confirmatur. Verum Cassius Dio dixit: ἐπέταξε, ἔθηκε. Suetonius Oct. c. 34 dicit: 'cumque etiam immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coartavit, divortiis modum imposuit'. Idem Dio non minus certis verbis affirmat ad annum 736 sub finem capitis 54, 16. Horatii quoque carm. saec. vv. 17 sqq.

'Diva producas subolem patrumque
prosperes decreta super iugandis
feminis prolisque novae feraci
lege marita'.

idem docent. Haec verba pessime conveniunt cum lege frustra rogata non perlata. Denique titulus huc facit ab ipso Heineccio e Grutero prolatus, quem nunc reperies in corp. inscr. lat. vol. VI. 1, 877, eosdem ob ludos saeculares lapidi incisus anno 737. Ex verbis dilaceratis obtruncatisque hoc certe effcitur legem illam fuisse latam ratamque factam de maritandis ordinibus, id quod Heineccium non plane fugit. Spectatorum divisio plane ex lege illa facta est, nam coniuges spectaculo admittit, quia tamen non ultra quam semel ulli mortalium spectandi talia copia fiat, ne ceteros quidem non maritos a spectaculo prohibet, qui nondum sint maritati eos vetuit ulli nocturno spectaculo adesse nisi cum aliquo maiore natu propinquorum, vide Suet. Oct. c. 31. Non certum numerum annorum indicat, quo minores vetat adesse. Caelibes punit quamquam vacatio erat, non puniret si haec prima vacatio esset, eos vexat qui principis iussa perficere adhuc noluerunt. Eximuntur necessariorum custodia qui etiam legis illius poenis eximebantur.

virgines Vestales, sexagenarii etc. Continua sex annorum vacatio tripartita per se parum probabilis est. Nullo testimonio nititur, pugnat vero cum ipsius Augusti verbis. Verba *τὸ μὲν πρῶτον τὸ δὲ δεύτερον* illorum interpretationem reiciunt. Multo magnificentior ampliorque clementia eius apparuisset, si ille per quinque deinceps annos legis suae vacationem fuisse dicere potuisset, tum vero omisisset sextum vacationis annum addere. Ergo lex anni 736 nisi usu non sublata est, fuit secunda et media lex, prima lex ante annum 736 lata est. Suetonius Oct. c. 34 tradidit: 'leges retractavit et quasdam ex integro sanxit ut . . . . . de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquanto severius quam ceteras emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit nisi adempto demum lenitave parte poenarum et vacatione triennii data auctisque praemiis. Sic quoque abolitionem eius publico spectaculo pertinaciter postulante equite accitos Germanici liberos . . . . ostentavit . . . . . Cumque etiam immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coartavit, divortiis modum imposuit'. Quo modo has legis praevaricationes ortas esse censebimus si ipsa lex anno 736 rogata triennii tamen mox vacatio data est? Dicit Dio: '*τοῖς δὲ ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν*'. Non nego *ἔμπαλιν* posse idem valere quod 'autem' vel 'contra'. Sin ita intellegis tum graviores quidem poenas Augustus posuit quam si non ipse iam posuerat alii ante eum posuerant, praemia autem posuit quasi ipse primus praemia posuerit. Posuerat autem iam Iulius Caesar anno 708 *πολυπαιδίας ἆθλα* teste Dione c. 43, 25, cf. Suet. Iul. C. c. 20, idem iam anno 695 in agris assignandis eos praetulerat qui tres pluresve liberos haberent teste Dione c. 38, 7, Caesarem tamen poenis caelibes vexasse nusquam traditur. Etiam ante Caesarem non rarius praemia maritis quam poenae non maritis illata sunt ut ex iis quae Heineccius p. 26 sqq. conlegit apparet. Recte igitur me iudice *ἔμπαλιν* vocabulo 'rursus' vertemus qua interpretatione efficitur ipsum Augustum iam ante poenas et praemia posuisse. Quid denique ab Heineccii sectatoribus de Propertii carmine II. 7 statuetur? Hoc carmen aperte legem aliquam de matrimoniis

[redacted]

ab Augusto latam spectat. Non vero potuit vel anno 736 vel post illum annum scribi. Annis 735—738 Augustus Romae fuit. Ardentem amantium mutuum amorem hoc carmen spirat, ergo ante carmen IV. 25, ante quinquennii finem scriptum est, diversissimus enim amor est ab eo qui in quinti libri compluribus elegiis deprehenditur, quod postea magis elucebit. Sin post annum 736 quinquennium finitur ex iis quae mox disputabo efficietur Propertium post Ovidium natum esse quod cum ipsius Ovidii verbis pugnat. Ergo ante annum 736 prima de matrimoniis ab Augusto lex lata est. Ante victoriam vero Actiacam legem senatui equitibusque aeque odiosam non tulit sed postea ut Tacitus quoque testatur in ann. c. III. 28: 'sexto demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus quae triumviratu iusserat abolevit deditque iura quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret' (cf. etiam Dio. 53, 2). Quamquam his Taciti verbis non plane efficitur anno 726 Augustum de matrimoniis legem tulisse, tamen non multo post eum tulisse credideris. Intra victoriam Actiacam et annum 736 Augustus bis Roma discessit, anno 727 et anno 732. Si anno 732 haec lex lata esset, anno 735 triennium vacationis finiretur et postquam lex per unum annum viguisset poenas et praemia Augustus auxisset quo facto viginti sex annis legem non tetigisset. Praeterea etiam amor anno 732 alius fuisse videbatur quam qui in hoc carmine deprehenditur. Illo enim anno carmina IV. 24 et 25 scripta esse conieci. Deinde ad annum 732 Dio haec commemorare non omisisset, non enim illo anno multa scitu digna memorabilia Romae acciderunt, et quaedam leviora Dio narrat velut quae de cenis dicit in c. 54, 2. Fames et morbi quae tum grassabantur teste Dione c. 54, 1 vel matrimoniis iungendis vel legibus de ea re rogandis minime favebant. Lata est igitur prima contra caelibes lex anno (726 exeunte post aedem Apollinis dedicatam sive anno) 727 ineunte, tum cum Augustus potentiae securus obsoleta delevit et nova iura dare coepit teste Tacito, de quo anno Dio. c. 53, 21 ita refert: *Αὔγουστος δὲ τά τε ἄλλα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα*

προθυμότερον ..... ἔπραττε καὶ ἐνομοθέτει πολλά. οὐδὲν δὲ δέομαι καθ' ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπεξιέναι χωρὶς ἢ ὅσα τῇ συγγραφῇ πρόςφορά ἐστιν. Neque tamen quicquam ille de his legibus addit. Annus 727 bene etiam cum iis convenit quae Augustus in testamento suo VI. 13 sqq. scripsit, cf. Momms. p. 145 sqq. Brevi post latam legem ab Augusto antequam ex urbe exiret lenita et vacatio triennii data est. Non perlatam esse legem non traditur, sublatam esse (ergo latam quoque) a solo Propertio et si Augustus a recusantibus poterat commoveri ut legem non solum leniret, sed etiam in tres annos removeret, haec lenitio prope aberat ab abolitione, lex poterat in omnia tempora sepulta et obruta videri. Tres anni amantibus longum spatium erant. Augusto in bellum contra Britannos anno 727 profecto carmen II. 7 scriptum est. Tum vacatione transacta videtur lex rarissime contra caelibes adhibita esse quia praeter Augustum omnibus odio erat ita ut anno 736 legem renovare poenas et praemia augere cogeretur sub ea tamen condicione ut iterum biennii vacatio esset qua praeterlapsa non minus segniter legi quae frustra in libris tabulisque tenenda prostabat oboeditum est, ita ut anno 762 velut obsoleta et oblivione obruta denuo in lucem revocanda esset non sine novo murmure civium non maritorum. Otiosum est addere carmen II. 7 scribi non potuisse post quinquennium amoris, cum quarti libri temporibus hoc pugnat. Neque potuit ante scribi ita ut post annum 727 quinquennium amoris incipiat. Sunt quaedam carmina alteri tertiove libro inserta tempore primi libri scripta ut postea apparebit, sin idem de carmine II. 7 statuimus quo ardentissimum amorem videmus, discidium ante annum 728 medium vix potuit incipere, tum vero primum Propertii et Ovidii anni natales nimis prope inter se congrediuntur, deinde quinquennii finis ad annum 734 accedit cui quaedam quinti libri carmina adscribenda erunt; liber quartus annos 729—734 comprehenderet, cum anno 732 nullum carmen posterius esse videatur. Nulla est causa cur carmen II. 7 alteri libro insertum primi libri temporibus adiudicemus. Quinquennium igitur amoris annos 727 — 732 complectitur. Fortasse ipsa prima Augusti de matrimoniis lege Cynthia me-

tuens ne poeta hac lege in aeternum sibi eriperetur commota est ut quam primum eum sibi reconciliaret. Annus 726 est discidii tempus.

Quaeritur quot amoris anni discidium antecesserint. Scimus enim ex carminibus IV. 15 et V. 1, 131 sq. eum bulla aurea et toga praetexta depositis statim se amori dedisse et paucis noctibus Lycinnae datis Cynthiae partes indefesso amore secutum esse amoremque suum elegiis celebrasse, quarum quot discidium antecedunt sine dubio primo libro continentur. Iam vero in vv. IV. 15, 7 sq. haec leguntur:

Tertius haud multo minus est cum ducitur annus,
vix memini nobis verba coisse decem.

Lachmannus primus contendit haec et qui versus antecedunt post discidii tempus scribi non potuisse sed libri primi tempore. Verum quidem est versus 7 qualis est non potuit scribi post discidium. Interpretor enim: 'nondum duo anni toti sunt peracti' vel 'duo anni, haud multum deest, praeterierunt'; deme discidii annum, unus amoris annus paene totus superest quo liber primus compositus sit. Deinde a tempore quod sequitur reconciliationem ab ipsa Cynthia si non quaesitam tamen libenter acceptam argumentum carminis IV. 15 amor denuo periclitans abhorret. Tumultus vero primi versus male de discidio intelleguntur, rectius de levioribus discordiis quae brevi antecesserant aut praesentem amorem turbabant accipiuntur. Non ausus esset Propertius ut recte Lachmannus vidit talia publice proferre, sed anxie cavisset ne denuo perfidiae suspicionem puellae moveret, quam eum movisse vv. 45 sq. non obscure ostendunt. Propter amorem per tot annos sepultum Cynthia servam non adeo vexavisset. Nec tamen hoc carmen ante discidium scribi potuit. Incipit poeta primam elegiam primi libri ita:

'Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis
contactum nullis ante cupidinibus'.

Certe tam aperto mendacio quale altero versu impudentius non potuit pronuntiari Cynthiam se sibi reconciliaturum esse non potuit sperare. Non flocci illa pulchra eius verba fecisset si antecessisset carmen IV. 15. Primum enim carmen post reliqua primi libri carmina scriptum esse postea demonstrabo. In

quarto libro illud carmen reperitur non in primo, nullum aliud carmen aut primi aut quarti aut quinti libri indagabis quin cum reliquis sui libri carminibus tempore quo scriptum sit conveniat. Metricis rationibus carmen IV. 15 a primi libri carminibus distat. Duo carmina carmine IV. 15 minora in primo libro extant in quibus singuli pentametri reperiantur non in voces disyllabas exeuntes, in reliquis omnibus carminibus pentameter saepius in vocem quadrisyllabam aut etiam trisyllabam exit velut in carminibus I. 1, 21, 22 tempore extremis. In carmine IV. 15 vero in 23 pentametris nullus versus non in vocem disyllabam exit. Deinde quinquies in hoc carmine in vv. 6, 10, 26, 30, 34 bina substantiva cum adiectivis suis ita ponuntur ut alterum par ab altero includatur et unum vocabulum in priore tria in posteriore pentametri parte appareant, velut in v. 6:

imbuit heu nullis capta Lycinna datis.

Rarissime idem in primo libro occurrit, aequabilius substantiva et adiectiva in utramque pentametri partem distribuuntur velut in v. I. 1, 30:

qua non ulla meum femina norit iter.

Prior pentametri forma occurrit in primi libri vv. 3 46 6 10 24 8 30 9 18 10 4 11 22 13 24 18 20 19 2 14 24 (similis est versus 20) 20 6, in quarti libri vv. 1 12 18 20 40 2 16 3 10 22 24 30 32 34 4 6 5 2 24 6 12 18 30 7 16 (30) 40 60 62 8 2 4 8 14 9 4 18 26 44 50 52 54 56 10 10 20 24 11 2 12 16 30 32 34 52 56 60 68 12 18 22 28 13 6 18 22 28 42 52 60 66 14 2 4 6 16 26 28 15 6 10 26 30 34 16 4 6 24 28 17 16 24 30 32 36 18 10 14 24 19 8 12 22 26 20 18 22 26 21 24 26 28 32 22 14 24 30 32 34 38 24 10 14 20 25 10 12. In primo libro quattuordecim versus hanc formam habebant inter pentametros trecentos quinquaginta tres vel unus inter viginti quinque, in quarto libro vero 103 versus inter 495 pentametros vel unus inter quinque fere versus. In quinto libro eandem formam habent versus 1 18 22 28 42 50 72 74 82 96 102 104 110 116 130 136 140 2 2 8 26 36 42 44 56 58 3 4 8 10 14 18 20 26 28 46 54 58 72 4 2 12 16 28 32 36 44 48 54 66 78 92 5 24 44 64 68 70 6 2 28 32 34 38 40 42 54 74 82 7 6 (16) 20 26 38 42 60 64 66 70 90 8 18 24 26 38 42 44

54 62 82 9 4 26 34 40 44 48 62 64 68 10 4 18 22 26 11 2 8 12 18 22 26 34 44 52 54 (64) 70 72 76 86 98; sunt 112 versus inter 475 pentametros vel unus inter quattuor fere. Nulla inter se discrepantia in hac re singulae quinti libri elegiae (ne elegia 71—150 quidem a ceteris) distant. Non multum differt ab hac pentametri forma ea quae deprehenditur (nusquam in primo libro) in vv. IV. 3 48

(nocturnaeque canes ebria signa fugae)

8 20 10 2 18 20 17 8 28 38 18 32 19 16 24 2 V. 1 10 12 40 92 3 62 5 20 7 18 24 62. In versibus IV. 10 2 17 28 18 32 V. 1 92 verborum usitatam posituram et hemistichiorum exitus aeque sonantes dimisisse videtur ne versus spondaica voce inciperet. Altera similis forma deprehenditur in vv. I. 1 38

(heu referet quanto verba dolore mea)

IV. 2 12 7 4 68 13 8 (15 22) 18 4 V. 1 58 78 2 60. Posterior pentametri forma quam habet versus

'qua non ulla meum femina norit iter'

in primi libri reperitur vv. 1 30 34 2 20 22 3 2 8 24 26 32 44 5 28 6 6 18 20 7 2 4 8 10 12 18 38 46 9 12 10 18 11 4 10 18 24 12 6 10 14 2 10 16 15 14 16 2 10 24 34 36 38 42 44 17 12 26 18 10 16 24 19 (4) 6 10 18 20 8 12 22 28 34 36 38 21 4; habent hanc formam versus 58 inter 353 pentametros vel unus inter sex fere. In quarto libro eandem formam habent vv. 1 3 10 32 2 6 10 14 3 (8 ubi ambae formae prior et posterior coniunctae deprehenduntur) (18) (26) 46 52 4 8 6 32 7 20 9 8 58 10 26 (11 18) 12 12 13 16 30 34 36 (62) (14 24) 15 14 17 18 (22) 40 18 8 19 14 20 8 22 8 28 23 18; deductis versibus in quibus utraque forma reperitur sunt vv. 28 inter 495 pentametros vel unus inter 18 fere, non deductis illis sunt 35 vel unus inter 14. In quinto libro eandem formam habent versus 1 8 20 44 60 64 86 106 124 126 2 14 34 38 52 62 3 24 (34) 36 38 52 64 66 68 4 4 8 20 30 38 (40) 62 5 4 10 14 22 (26) 66 6 8 10 22 24 58 66 68 7 2 10 50 56 80 8 2 (50) 58 60 78 9 10 22 30 52 56 10 2 20 34 (40) 44 11 16 20 28 30 (32) 50 (62) 74 (76) 82; deductis iis versibus in quibus utraque forma reperitur sunt 64 non deductis 72 inter 475 pentametros, ergo unus inter septem aut inter sex. Praeter leviorem in carmine 3 discrepantiam

etiam in hac re singula quinti libri carmina inter se consentiunt. In quinto igitur libro pari fere ratione poeta utramque formam adhibuit. Prior forma in carmine IV. 15 quinquies reperitur (in vv. 6, 10, 26, 30, 34), in primi libri plurimis carminibus non saepius quam semel, in carmine 6 bis, in carmine 19 ter quaterve in vv. 2, 14 (20), 24, in eodem tamen carmine etiam posterior forma ter quaterve reperitur, in vv. (4 ubi praedicatum pro adiectivo positum est) 6, 10, 18, cum eadem forma in carmine IV. 15 semel in v. 14 occurat. Ergo variationis causa in carmine I. 19 sicut in carmine I. 6 utramque formam poeta adhibuit; carmen IV. 15 vero plane rationes quarti libri sequi iussit.

Deinde tota fabulae peroratio provectiorem aetatem sapit, similis est elegia primi libri vicesima, in hac tamen elegia continua marratione fabula evolvitur, in carmine IV. 15 poeta ipse quid sentiat hic illic inserit; illic nulla comparatio apparet, in hoc autem carmine comparatio deprehenditur e natura petita qualem rarissime poeta addidit:

Ac veluti magnos componunt aequora fluctus

et quae secuntur, 'componunt' scripsi ne tertium comparationis desideretur; sententia enim est: nec aequora nec vita humana tempestatibus perpetuo exagitantur. Eandem emendationem in Burmanni editione adnotatam reperies. Ergo quarti libri carmen IV. 15 colorem prae se fert. Accedit aliud argumentum. Nonne verba 'haud multo minus est' multo sibi maiorem numerum quam 'tertius' flagitare videntur? Poterat Cynthia sic interpretari: 'tertius est annus vel alter, certe non multo inferior annus ducitur'. Poterat Cynthia ex illis verbis conligere alterum annum, ex quo Lycinnam deseruisset, modo coepisse decurrere. Si tertius scribebatur ambiguitatis evitandae causa non 'haud multo minus est' sed 'iuro hoc ita esse' vel aliud aliquid tale addere poeta debebat. Ut verba sunt Propertius suspicionem quaesitae ambiguitatis non fugit. Ne sim longus, gaudebo sive quis ea quae traditae lectioni refragantur feliciter expediverit et medela opus non esse demonstraverit, sive lenius versum sanaverit; equidem non possum quin pro vocabulo 'tertius' 'septimus'

scribi iubeam. Poterant numerorum figurae ab aliquo qui librum transcripsit permutari. Huic numero poeta addere potuit 'haud multo minus est', effecit ne mendacii convinci posset, si Cynthia comperiret eum postea quoque aliquotiens Lycinnam convenisse. Satis erat probasse se per quinque annos vel diutius servam neglexisse ut novae perfidiae innocens videretur. Sin recte 'septimus' scribitur, carmen IV. 15 sexto amoris anno exeunte scriptum esse videtur. Paululum ambiguitatis poeta fortasse quaesivit, evitanda tamen erat suspicio aperti mendacii, Cynthia enim ipsa non ignorabat quot anni transacti essent post initium amoris. Sextum autem amoris annum exeuntem fuisse annum 730 ineuntem puto. Carmina IV. 4 et 5 anno 729 attribui, carmen 18 anno 731 exeunte scriptum est, carmen 14 item sub initium anni 730 probabiliter scriptum est. Finem amoris et libri annus 732 includit. Quicquid de v. IV. 15, 7 statuetur non minus duos annos primo libro scribendo et amori discidium praecedenti tribuerim. Huic coniecturae nihil refragatur, libri tamen primi carmina, Propertii peccatum (c. 3), iter (c. 8), morbus (c. 15), Cynthiae iter (c. 11), Pontici Gallique in amore casus, quae alia narrantur, illud temporis spatium sibi poscunt. Eo efficitur anno 724 ineunte Cynthiam amare poetam coepisse, anno 726 amantes discidio seiunctos fuisse, anno 732, octo annis et dimidio post initam amicitiam, poetam dimisisse puellam. Antequam Cynthiam cognosceret a Lycinna, serva illius, Veneris ministerio initiatus est ipso teste vv. IV. 15, 5 sq.

'illa rudes animos per noctes conscia primas
imbuit, heu nullis capta Lycinna datis'.

nec est cur non his verbis fidem habeamus. Si aut totum annum aut complures annos Lycinnae serviisset non tam audacter mentitus esset in v. I. 1, 2

'contactum nullis ante cupidinibus'.

Ex eodem carmine IV. 15 (vv. 3 sqq.) comparato cum carmine V. 1 (v. 131) pro certo efficitur eum bulla aurea togaque praetexta abiectis statim ad amorem et carmina colenda transisse ac paucis noctibus Lycinnae datis Cynthiae servitium

subiisse. Toga virilis ante quintum decimum aetatis annum duci coeptum liberae reipublicae temporibus rarissime, post sextum decimum annum finitum nisi patre retardante nunquam fere sumpta est. Quinto decimo aetatis anno quo plurimi iuvenes Augustea aetate togam praetextam deponebant Propertius quoque eam deposuisse censendus est. Pater mortuus est poeta infante, res familiares erant tenues cf. vv. V. 1, 127 sqq. Ergo ut poeta quam primum ipse pecuniam cogere disceret curandum erat. Iam vero in v. V. 1, 134 Apollo poetam 'vetat insano verba tonare foro.' Suspicari possumus his verbis, poetam post togam liberam sumptam in publicum prodire conatum esse. Solum enim prodeundi consilium nemini praeter ipsum poetam notum ab horoscopo carpi non passus esset. Hortensius undeviginti annos natus Romae in foro dixit cf. Cic. Brut. c. 64. Minor tamen quindecim annis vereor ut poeta in publicum prodire potuerit nec minorem eum statuemus fuisse cum bullam deposuit, ne nimis prope ipsius annus natalis ad Ovidii annum natalem accedat. Sumpsit igitur togam liberam anno quinto decimo praeterlabente. Non plus unum annum, quantum ex elegiis IV. 15 et V. 1 conligo, trivit in vitae rationibus instituendis Lycinnaeque amore degustando. Quae omnia si recte disputata sunt poeta natus est anno ab urbe condita septingentesimo octavo, anno 722 quartum decimum aetatis annum explevit et sequenti anno aut ut Vergilius (cf. Donat. vita Verg. in Reiff. Suet. p. 55) anno aetatis XV. peracto, natali suo, aut ut alii postridie Idus Martias togam virilem sumpsit. Ut hoc addam, non repugnant meae ratiocinationi verba V. 1, 131 'mox ubi.' De agrorum aliqua assignatione ante verba fiunt, nec vetamur illis verbis notam assignationem anni 713 intellegere, qua Vergilius Horatius alii res suas familiares perdiderunt. Potuit poeta tum quinque annos natus esse ita ut voce 'mox' novem vel decem anni comprehendantur, in elegia V. 11 in versu 34 eodem vocabulo plures anni, omne tempus quod erat inter vitae initium et nuptias comprehenduntur.

Patrem prima pueritia amisit cf. v. V. 1, 127; matrem vero habuit superstitem anno aetatis quinto decimo, cf. v. V. 1,

132 et sexto decimo, cf. v. I. 11, 21; amisit eam ante carmen III. 20 (cf. v. 15) scriptum, amisit igitur inter annos 724 et 727. Propinquum, quem elegiis I. 21 et 22 luget, patrem fuisse somniaverunt viri docti, patris loco tutorem eum fuisse poetae demonstrari quidem non potest. Fortasse praeter parentes et hunc Gallum poeta nullum propinquum habuit, fortasse ut iam Lachmannus coniecit (Savigny, Zeitschr. für geschichtl. Rechtswissenschaft XI. p. 117) ille erat frater matris. Res familiares ante annum 713 pingues agrorum assignatione veteranis cesserunt, pauca eorum quae pater possederat filio manserunt, cf. vv. V. 1, 128 sqq. et v. III. 34, 55. De pueritia poetae paucissima scimus. In matris domo liberam togam sumpsit cf. v. 132 (V. 1) fortasse Asisii. Litteratoris grammatici rhetoris disciplina utrum Asisii an Romae usus sit, utrum puer quinque annorum an iuvenis quindecim annorum cum matre Romam se contulerit, nescimus. Brevi tamen post bullam depositam Romae versabatur. Causidici munus suscepturus ad amores iungendos elegiasque scribendas mox totus incubuit. Severis tamen eodem fere tempore studiis Alexandrinorum doctam poesim amplexus esse videtur. Pecuniam quoque sibi congessisse iudicandus est, non enim solis carminibus vel blandis verbis sed etiam donis Cynthia captanda eiusque amor servandus erat, ut ipse testatur vv. II 8, 11 sq.

'munera quanta dedi, vel qualia carmina feci;
illa tamen nunquam ferrea dixit 'amo'.

cf. vv. III. 16, 17 sq. III. 24, 38. Apparet eum etsi praetori, totius provinciae opes secum portanti, non par erat (cf. c. III. 16), nec domus Taenariis columnis fulta erat (v. IV. 2, 9), opibus carentem vel egenum Cynthiae amorem frustra adpetiturum fuisse. Fortasse Tullus ille quem primo, sexto, quarto decimo, altero et vicesimo carmine primi, altero et vicesimo quarti libri adloquitur, cui totum librum primum dedicasse videtur, poetae copiam fecit otiosae vitae carminumque pangendorum. Nihil fere de hoc Propertii patrono constat. Eorum quae Hertzbergius disputavit qu. Pr. p. 23 sqq. non multa teneri possunt. Versus I. 6, 19

'tu patrui meritas conare anteire secures'

cum Eschenburgio lib. misc. p. 90 interpretandus est: 'tu conare superare patrui consulis gloriam.' Non solum vox 'conare' hanc interpretationem sibi poscit, sed etiam verbum 'anteire.' Ubicunque hoc verbum transitivam vim habet translate adhibetur a Propertio (v. II. 3, 41), Ovidio (Art. v. II. 726, Met. v. 13, 366), Vergilio (Aen. v. XII. 84); Horatius quoque in allegoria adhibuit in carmine I. 35, v. 17. Catullus et Tibullus fugerunt hoc vocabulum. Iam vero ridiculae blanditiae essent, si iuveni viginti fere annorum (cf. c. IV. 22 finem) patruus proconsul quem consequeretur in bellum superandus diceretur. Ergo intellegendum est: tu patrui meritas secures supera atque ut ille quondam sic tu nunc 'vetera oblitis iura refer sociis.' Tulli patruum omnes interpretes intellegunt L. Volcacium Tullum consulem anni 721 L. filium consulis anni 688. Eiusdem Horatius mentionem fecit c. III. 8. v. 12. Praetor urbanus fuit anno 708 (cf. Cic. ad fam. XIII. c. 14), anno 710 eum in Asia provinciae et copiis praefuisse ex epistula Ciceronis ad Atticum XIV. 9 conligitur, quamquam certum iudicium paucissima verba non permittunt. Consul fuit anno 721 (cf. Dio 49, 43, fast. Camp. in Zumptii comm. epigr. p. 12 et 33, Frontini de aquaed. I. 9, App. Ill. 27). Praeter haec nihil de Tullo minore scimus. Sin hic patruus superandus fuit Propertii patrono illum proconsulem extra Romam aliquo tempore fortiter et bene rem gessisse necessario efficitur. Sociis iura rettulisse censendus est. Nihil omnino de his rebus scimus. In Asia ille Tullus ante Actiacam pugnam proconsul non fuit, quia tota Asia cum Antonio stabat aut in eius potestate erat, sin ille quoque, Augusti in consulatu conlega, cum eo stetisset et Antonii iussu vel permissu provinciam occupasset et insignem bello se praestitisset, Dio narrasset, Propertius tamen fortasse non tetigisset. Quaenam sint haec a patruo in provincia apud socios bene gesta non possum dicere. Sed consideremus vocabulum 'meritas'. Si passive dictum est intelleges: 'tu patrui secures merebis atque ubi merueris eas superare conaberis' Similia Hertzbergius, conlegit (qu. P. p. 120) quibus adde v. I. 6, 34. Verum cum illa interpretatione pessime sequens pentameter convenit,

deinde Propertius nusquam 'meritus' aut 'immeritus' non activa significatione adhibuit vel potius Graeci medii vi cf. vv. III. 29, 13. IV. 7, 34. 15, 43. V. 5, 16. 7, 66, nec Propertius solus sed etiam Tibullus et Vergilius; Ovidius quoque excepta locutione 'meritus honor' saepissime. Sin non solum homo aliquis malignus sed quivis lector Propertii usu cogente interpretatur 'tu patrui secures supera dignas quae superentur' versus maxime offendit et si Propertius intellegi voluit patruum securibus dignum fuisse, vel illum consulem de civitate bene meritum esse, omni modo illam ambiguitatem debebat evitare. Tamen versum emendare, si emendandus est, non possum. Barthius Eschenburgio probante (lib. misc. p. 91) hunc versum intellexit de expeditione a Messalla Tibullo comitante (cf. Tib. I. 3) Augusti auspiciis in Asiam suscepta, qua gladiatores Cyzici per aliquod tempus ad Antonii victoriam ludis postea celebrandam se exercentes Antonio victo a Didio Daphnen missos propter suspectam Augusto fidem dissipavit obtruncandosque curavit, teste Dione c. 51, 7. Fortasse ipsam urbem Cyzicum Messalla in hac expeditione adiit. Anno 723 Augusti in consulatu conlega pugnae Actiacae intererat teste Appiano bell. civ. 4, 38. Post pugnam ad Celtas Aquitanosque subigendos missus est comitante Tibullo (cf. Tib. v. I. 7, 9). Deinde antequam anno 727 de illis populis triumpharet in Asiam missus est, iterum Tibullo comitante mox tamen aegrotante. Hunc rerum ordinem his rationibus motus statuo: 1. In pugna Actiaca aut post pugnam Actiacam in exercitu Augusti cuius parti Messalla praeerat dubito num cohorti aut Tibullo locus fuerit quem in Messallae exercitu in Asiam proficiscenti fuisse vv. Tib. I. 3, 1 sq. docent. 2. Post hoc iter tam infelici eventu susceptum Tibullus non secutus esset Messallam in bellum contra Aquitanos proficiscentem. 3. Appiani haec verba sunt (bell. civ. c. 4, 38): *περὶ Ἄκτιον ναυαρχήσαντα... ἔπεμψεν ἐπὶ Κελτοὺς ἀφισταμένους καὶ νικήσαντι ἔδωκεν θριαμβεῦσαι.* 4. Cur Augustus Agrippam Dione teste c. 51, 3 Romam misit post victoriam Actiacam, cur non consulem misit Messallam? Quia Aquitani defecerant et copiae tumultuosae disiungendae erant. Anno igitur 725 vel 726 Messalla in Asiam profectus est. Sin de hac Messallae expe-

ditione sermonem fieri in carmine I. 6 statues, primum quidem carmen I. 14 ante carmen I. 6 scriptum esse dicemus, quod per se non absurdum est, praeterea tamen Tullus Tibullum Messallamque comitatus esset, Propertius vero nec Tibulli nec Messallae aut amicus fuit aut amicum se esse simulavit. Post primum elegiarum librum editum Maecenatis inter amicos receptus est ut iure conligi videtur Tullo auctore, cum tamen iam ante hoc tempus Messalla ex Asia rediisse iudicandus sit. Tum Tullus anno 727 brevi post reditum suum novum iter in eandem terram unde rediisset instituisset cf. Pr. vv. I. 1, 25 sqq. et c. IV. 22. In Asia fuit cum Propertius carmen II. 7 scripsit, e. v. 18 hoc conligo. Denique hac interpretatione 'anteire' et 'patrui' non recte tradita apparerent. Hoc tamen Messallae in Graeciam iter praeter Crassi in Moesia bellum sola expeditio illis temporibus facta est cuius memoria ad nos pervenerit, sola cuius hoc Propertii loco mentio fieri potuisse videatur. Carmen I. 6 potuit post carmen I. 14, non potuit tempore discidii aut postea scribi. Ergo aut Volcacius fratris filio comitante et Messalla Tibullo comitante eodem fere tempore eandem ut videtur ob causam eandem in terram profecti sunt et eodem tempore redierunt, praesente enim Tullo minore carmen Propertii primum scriptum est, aut prius Tulli iter carminis I. 6 tempore suscipiendum susceptum non est. Duo enim itinera statuenda sunt et Barthii opinionem qua duo Tulli diversi carminibus donati sunt a Propertio (vita Pr. per annos digesta p. 80) refellere supersedeo. Ut dicam quod sentio suspicor L. Volcacio Tullo consulari eam expeditionem quam Messalla ex Gallia Aquitanis subactis reversus suscepit suscipiendam addictam fuisse non tamen ab eo susceptam esse, sed utrumque Tullum Romae mansisse et Tullum minorem Messalla ex Asia reverso cum sociis quibusdam iter sive studiorum honestorum sive voluptatis causa suscepisse in Asiam minorem. Non enim armis aut bello Tullum tam multos annos Cyzici quos degebat tribuisse carmen IV. 22 non obscure docet. Eiusdem carminis versus extremi illi coniecturae egregie favent cf. v. IV. 22, 40 cum v. I. 6, 34. De origine aut tempore itineris a Propertio in carmine I. 17 execrati nihil scimus. Periculum de quo in

carmine I. 15 sermo fit non naufragium sed morbus ni fallor morte et discessu sempiterno imminente fuit.

Maecenati Propertius cognitus erat ante alterum librum scribi coeptum. Aut ipso primo elegiarum libro edito ei pernotuit aut Tullo intercedente et ante iter suum novum poetae patronum quaerente. Benevolus ut recte Hertzbergius iudicavit patronus Maecenas poetae fuit, et hic, quamquam fortasse nunquam arto amicitiae vinculo inter se ambo iuncti erant, gratum suum animum ostendit duobus carminibus inter pulcherrimas elegiacae poesis reliquias conspicuis, carminibus II. 1 et IV. 9. Admiratus est Maecenas poetae ingenium, doluit poetam inter optimos insignem tam vilibus rebus ne honestis quidem diem et artem consumere. Optavit ut poeta maiora caneret. Ingeniosa quidem eademque grata ratione constanti tamen animo ille negavit se posse.

Ut patronus poetae factus est Maecenas ita etiam Augusto quin innotuerit Propertius nemo dubitabit, amicitiae autem aut non dubii favoris ante Propertii amores finitos ne unum quidem vestigium deprehenditur. Duobus eximiis carminibus Maecenatem celebravit, Augustum ante annum 737 vel 738, quo carmen V. 6 scriptum est, prorsus nullo. Carmen III. 10 absente Augusto ut Cynthiam terreret eiusque amorem recuperaret scriptum non absolutum est. Paucissimis versibus ubi tetigit Augusti gloriam absolvit, rarius eam tetigit quam ab huius temporis aliquo poeta Maecenati familiari tangi potuisse videatur. Quin etiam carmine II. 7 aperte Augustum irrisit, non Augustum sed magnum Caesarem eum appellat eludens, absentem irrisit, non nego, nec credo ipso poeta vivo hoc carmen in lucem prodiisse publicam, quia alio carmine Augustum aperte non laesit nec potuit pace Maecenatis. Ergo amores Propertii et amor Cynthiae praecipue furtivus Augusto summopere displicuerunt libidines tot legibus coercituro. Cynthia mortua Augustum quoque digno carmine celebrare et licuit et libuit.

Reliqui quorum consuetudine poeta usus est hi sunt: Gallus quidam quattuor castigatur potius quam celebratur carminibus I. 5 10 13 20. Nobili loco natus est, puellas captat decipitque vago amore vv. 13, 5 sq., tandem ipse labitur uni

puellae strenuo amore devinctus vv. 10, 1—10; 13, 7 sqq., quamquam postea ne hunc quidem amorem confiteri superbior audet vv. 13, 13 sq.; idem enim ne pueros quidem aspernatur, aut fugit teste carmine 20. Non hic est Propertii propinquus de quo sermo fit in carminibus I. 21 et 22. Nec est Cornelius Gallus qui ex infima fortuna escendit ad praefecturam Aegypti teste Suetonio in Oct. c. 66, qui statim post expugnatam Aegyptum huic provinciae ab Augusto praefectus est teste Dione c. 51, 17 anno 724, qui annis 725 et 726 Romae non fuit. Hertzbergius Aelium Gallum intellexit. Sed quae volgo effertur Galli et Propertii fervens amicitia haec ubi adcuratius carmina consideraveris evanescet. Carmen quintum familiarem quandam eorum inter se consuetudinem spirat, non nego, reliquorum vero carminum nullum, de se publici iuris fieri quisquam hodie aequo animo ferret. Versus 10, 11—14 mera ludibria continent. Amicus concredidit poetae qui gratias agit, non quidem ut debuit et se didicisse fingit sancto in caloribus aut doloribus quos viderat silentio, pergit enim Gallus publice fastidii et superbiae in amore speciem prae se ferre ut ex carmine 13 apparet, verum poeta, se maius aliquid habere fide quam non habet, glorians suadet ut humillimum amicae animum ostendat, quo acerbiore consilio Galli superbiam carpere aut ludere non potuit. Hoc carmen publici iuris factum et omnibus notum Gallus nullo modo ferre potuit. Carmen tertium decimum praeter vocem 'amice' in v. 18 nullum amicitiae vestigium continet. Prior pars ira posterior iterum irrisione referta est. Versus 17 sq. nemo ab amico dictos aequo animo acciperet et ipsa vox 'amice' impudentiam poetae auget. Versu duodevicesimo dolores qui reticendi erant non obscure indicantur. cf. Silentiarii vv. VII. 3 sq. et Themist. or. XXII. p. 272 et Lucr. vv. IV. 1103 sqq. Turpissima in illo versu cogitare fides Propertii neminem vetat. Non lenius Gallus eluditur carmine vicesimo. Primum poeta prodit Gallum pueros amare, deinde monet ne incuriosior puerum quem amet a nympharum rapinis non defendat, hoc est, Gallus iubetur videre ne puer puellas Gallo anteponat. Fortasse tales rapinas iam factas stultus ille vir non viderat, donec poetae irrisionibus compe-

riret. Gallus igitur est homo superbior quam prudentior, qui non cavet ne ludibrio fiat, qui Propertii iram Cynthiae amore excitasse videtur. Non prorsus absimilis est illius Galli quem Catullus carmine LXXVIII. perfricat. Talia non quaesiverim in Aelio Gallo Aegypti praefecto fortasse Propertii amico (cf. c. IV. 12), quem certe post infelicem in Arabiam expeditionem exagitare perrexisset (poterat in carmine V. 1, 71 sqq. et saepius). Post primum librum scriptum tacet poeta de Gallo sive Maecenatis gratia sive nescio qua alia causa. Si similem virum quaeris habes etiam Asinium Gallum Pollionis filium, quem Augustus dicit regni avidum sed minorem in Tac. Ann. I. 13, qui Tiberio adulaturus non intellegit quo ille tendat in Tac. Ann. I. 12, quem Tiberius adulterum vocat in Tac. Ann. VI. 25, qui aperte Drusum suum non Tiberii filium esse profitebatur teste Dione c. 57, 2. Hic tamen natus anno 713, triumvir monetalis anno 737, consul anno 746, quo tempore Propertius primum librum scripsit vix potuisse censendus erit 'noscere amoris iter'.

Non certiora de reliquis poetae sodalibus pronuntiari possunt. Bassum poetam carmine I. 4 adloquitur. Videtur ille poematium Propertio misisse quo pulchras heroinas celebraverat simile Hesiodi Eoeis et Fontani de naidibus a satyris amatis carmini, cf. Ovid. ex Pont. ep. IV. 16 v. 35. Poeta respondens iocose monet ne iras Cynthiae invidiosae excitet. Hic Bassus potest idem esse quem Ovidius v. Trist. IV. 10, 47 iambis clarum vocat, ita ut Bassus sicut Montanus paribus et imparibus numeris gemino carmine nomen habuisse censeatur cf. Ov. ex Ponto IV. 16, 11 sq. Num tamen ille, ut Teuffelius voluit in litterarum Romanarum (ed. IV. § 254, 2) historia, Iulius Bassus sit rhetor qui Seneca teste (contr. X. 1, 13) consectari solebat res sordidas et inveniebat qui illas unice suspicerent, dubito.

Ponticum poetam Propertius adloquitur carminibus I. 7 et 9. Heroo versu ille clarus erat teste Ovidio Trist. v. IV. 10, 47; scripsit Thebaidem Antimachum fortasse secutus. Welcerus ep. cycl. I. p. 202, adsentiente Diltheio (de Call. Cyd. p. 2) ex versibus Prop. I, 7, 1 sqq. conlegit Propertium cum

Callino Thebaidem Homero attribuisse. Sed nec Callinum ita iudicasse prorsus certum est, nec apud Propertium eiusdem sententiae ullum vestigium deprehenditur. Nam si Ponticus laudatur quod contendat primo Homero sine dubio contendit cum principe epicae poesis non cum auctore carminis de eadem re scripti non servati. Deinde in versu II. 1. 21

'non veteres Thebas nec Pergama nomen Homeri'

verba 'nomen Homeri' non possunt ad aliud vocabulum referri praeter Pergama; ergo in hoc versu poeta certe plane oblitus est Homerum Thebaida quoque scripsise. Bassi et Pontici carmina sive edita sive inedita (cf. Bernhardyi in litt. Rom. hist. de his viris iudicium et Ov. ex P. ep. IV. 16, 39) brevi merita oblivione obruta sunt.

Demophoonta quem Propertius carmine III. 22 adloquitur Tuscum esse qui Ovidio teste (ex P. ep. IV. 16, 20) Phyllida cecinerat probabiliter Kiesslingius coniecit in libello qui inscribitur: Georgio Schoemanno gratulatur phil. ordo Gryphiswaldensium 1875.

Sequiter Lynceus crux carminis III. 34. Est poetae amicus qui in provectiore aetate amores aut vinum non despicit, qui ad philosophica studia incubuit, in arte poetica plus uni generi operam impendit. Difficillimi sunt vv. 29—42. Recte unus Scaliger versibus 31 sq. Philetam laudari Callimachum reprehendi iudicavit. Nam primum poeta Callimachum laudaturus vix poterat ineptiora et infirmiora verba eligere quam quae continet versus

'et non inflati somnia Callimachi';

haec laus frigidissima et vituperationi tam similis est quam ovum ovo. Non apparet ut hoc unum addam cui verba 'non inflati' opponantur, non apparet qua causa nisi ut increparet plurali dixerit 'somnia' pro 'somnium' (cf. v. II. 4, 16). Deinde sola Scaligeri interpretatione ea quae secunter particula 'nam' causali adnexa intelleguntur. Hertzbergii interpretationi refragantur particulae 'nam' et 'licet'; 'licet' nunquam desiderium, semper permissionem (in v. I. 8, 29 irrisionem) complectitur. Versus 33—38 aperte causas rerum continent ex Callimachi Aetiis de-

sumptas, recte in hac re Schneiderus (Call. II. p. 41) iudicavit, quae cetera addit de carmine Pr. III. 34 non probo. Sic enim illos versus (33—38) interpretor: 'Tu potius Philetam quam Callimachum in eis quae canes imitare, nam etsi cum Callimacho quoque persaepe amores canes, tamen quid tibi proderunt aliorum grandia fata sive bona sive mala sive epico sive elegiaco metro cantata? Tu angusto quidem ut Philetas et Callimachus 'incipe versus includere torno' sed Philetam non Callimachum secutus 'in tuos ipsius ignes, dure poeta, veni'. Ipsa ars poetica nihil valet in amore nisi ea recte utimur. Idem ille facere iubetur quod Propertius qui conviva regnet inter puellas ingenio suo, quem iuvet hesternis languere corollis, qui ut Varro Catullus Gallus fecerint carminibus suis suam puellam aeternam spondentibus memoriam laudet celebretque. In vv. 41 sq. hoc Birtius in Mus. Rhen. vol. 32 p. 412 recte vidit 'verba componere' esse grandia nova verba compluribus audacter compositis conformare et creare. Sententiam tamen hexameter pentameterque sibi poscunt hanc: desine grandia verba conformare superbis carminibus melicis, Aeschyleis tragoediis cf. Ovid. Am. I. 15, 15. Fortasse ille unam solam tragoediam scripserat 'Danaides' inscriptam qua Hypermnestram eiusque coniugem Lynceum celebravit, postea tamen quippe qui ipse ad amores incumberet tragoediis posthabitis Callimachi Aetiis operam dederat. Ergo si de Aeschyli tragoediis in v. 41 demum agitur non potuit de eodem poeta ante sermo fieri in v. 29. Inepte poeta postquam amicum vetuit tragoediis operam dare adderet: neve tu verba grandia Aeschyleo cothurno componas, an in epico carmine Aeschyleo cothurno verba grande sonantia et implicata carmina melica Pindarico ore Lynceus finxerat? Verba in v. 29 tradita non tetigerim, 'lecta' alio vocabulo non mutabo ne sequens versus otiosus videatur. 'Lecta' non minus tenendum est quam 'accepti' in v. I. 6, 34 et 'acceptas' in v. V. 11, 34. Fortasse Graecorum imitationi haec participia debentur. Sin 'Erechthei' recte traditum est, non quilibet Atheniensis hoc vocabulo significari potuit, quia Socrates et Aeschylus quoque Athenienses erant, sed is solus qui fortasse vera Erechthei proles habebatur, dico Solonem. Solonem Codridam fuisse

praeter Didymum (vide Plut. Sol. I.) omnes tradiderunt. Fortasse recondita aliqua fabula ille Erechtheum quoque inter gentis auctores habuit. Versus 31 adhuc emendatus non est. Sententiam desidero hanc: tu Battidis propriae puellae memorem imitare Philetam non inflati somnia Callimachi. Sic Callimachus aliorum amores etsi eadam gracili forma fortasse multo graciliore (cf. vv. IV. 9, 43 sq.) celebrans castigari potuit, quamquam sequens carmen ordine a poeta non inlato incipit 'Callimachi manes et Coi sacra Philetae' etc. Addo poetam semel certe non plane sibi stetisse in vv. III. 10, 25 et 13, 4. Praeterea quamquam Heimreichii (quaest. Prop. diss. p. 46 sq.) et Ribbeckii (Verg. prol. p. 57) argutias probare non possum, antequam poeta carmen III. 34 edidisset, perpolivisset. Lynceum Thebaida scripsisse vv. 39 sq. non plane efficitur. Similis est Lynceo scriptor carminis quod inscribitur 'Ciris'. Hic quoque provectiore aetate scribit, philosophiae est deditus Epicureae, non solum honores gessit sed etiam carmina iuvenis scripsit, ut ipse in exordio testatur. Verum hoc carmen Messallae aut filio aut nepoti dedicatum est et scriptum post annum 731, exordium hercle poterat etiam a panegyrici in Messallam auctore scribi. Quamnam philosophorum sectam Lynceus secutus sit dici nequit. Versus 51—54 poterat poeta de sua philosophia addere cf. el. IV. 5, 25 sq. Ergo utrumque poetam eundem esse non potest demonstrari.

Omnes hi poetae Propertii amici inferiorem in litteris Romanis locum tenent, tamen etiam cum quibusdam clarorum poetarum amicitia coniunctus erat. Vergilii se amicum fuisse ipse testatur luculentissime vv. III. 34, 61 sqq. circa annum 729 vel 730 scriptis. Ovidii consuetudine eum per aliquod tempus usum esse Ovidius testatur (Trist. vv. IV. 10, 45 sq. 53). Circa annum 735 maxime haec utriusque consuetudo extitisse videtur (cf. Ov. Trist. IV. 10, 50 sqq.). Propertius amici nusquam meminit. Sescenties Ovidius amici vivi et mortui locutiones et verba praedatus suis carminibus inseruit. Cornelium Gallum a Propertio in carmine III. 34 commemoratum sua manu anno 728 mortuum (cf. Dio c. 53, 23) per complures ut videtur extremos vitae annos, inde ab anno 724 (cf. Dio 51,

9 et 17) absentem nisi operibus suis et fama poetae non notum fuisse puto. Tibulli tamen Propertium per aliquod tempus amicum fuisse quamquam nusquam traditur suspicor. Nam ne Ovidium quidem unquam amicum suum vocat, non verbo amicitiam indicat. Deinde nonnullos quidem poetas singulis vel compluribus carminibus adloquitur sed hi sunt poetae inferioris notae, scriptores de quibus gloriatur vv. IV. 1, 12 sqq. Ubi vero Catulli Calvi Galli Varronis mentionem facit in vv. III. 34, 85 sqq. 25, 4 non potuit Tibullum commemorare; illi enim iam mortui erant, amicae laudatae erant, hic vero adhuc inter vivos erat. Tam inter se familiares quam Propertius et Vergilius aut Propertius et Ovidius fortasse ne erant quidem, nam eodem fere tempore in eodem artis poeticae genere palmam adpetebant, paribus fere viribus. Nam Propertius et Tibullus eam ob causam inimici nullo modo potuerunt esse quia alter alterum non raro imitando expressit, inimicitiae autem certum vestigium in neutrius carminibus usquam deprehenditur. Totum versum Propertius e Tibullo ipso vivo desumpsit cf. Tib. v. I. 8, 45 et Pr. v. IV. 25, 13:

Tib.: 'tollere tum cura est albos a stirpe capillos.'
Pr.: 'vellere tum cupias albos a stirpe capillos.'

alia imitationis vestigia praebebunt vv. Pr. I. 5, 14, Tib. II. 6, 12; Pr. I. 6, 5, Tib. I. 1, 55; Pr. I. 9, 23 sq., Tib. I. 8, 7 sq.; Pr. I. 13, 33 sq., Tib. I. 8, 47 sq.; Pr. II. 2, 1—2, Tib. I. 5, 1—2; Pr. III. 10, 18, Tib. II. 4, 26; Pr. III. 14, 27

'has pono ante tuas, tibi, diva Propertius aedes
exuvias, tota nocte receptus amans.'

iocose et Tibullum lenissime carpens vel ludens qui dixit vv. I. 9, 83 sq.

'hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
dedicat et grata sis dea mente rogat.'

Prop. III. 15, 23, Tib. I. 1, 69; Pr. III. 15, 25 sq., Tib. IV. 5, 15 sq.; Pr. III. 16, 46, Tib. I. 9, 12; Pr. III. 22, 16, Tib. I. 4, 70; Prop. IV, 1, 22, Tib. II. 6, 22; Prop. IV, 5, 24, Tib. II. 2, 20; Pr. IV. 6, 32, Tib. I. 9, 4; Pr. IV. 9, 49, Tib. II. 5, 25 et 55; Pr. IV. 15, 2, Tib. I. 2, 76; Pr. IV. 20, 4,

Tib. II. 6, 42; Pr. IV. 20, 10, Tib. IV. 3, 24; Pr. V. 4, 72 (probo 'pectus aperta') Tib. I. 6, 18; Prop. V. 5, 18, Tib. II. 4, 58; Pr. V. 6, 5, Tib. I. 7. 53; Pr. V. 6, 32, Tib. IV, 2, 22. Ergo ut concedam quaedam alii auctori utriusque fonti alia casui deberi, in plurimis quos conlegi versibus imitatio non fortuita deprehenditur atque saepe Propertius Tibullum aliquotiens fortasse hic illum imitando expressit. Diversissimi ceteroquin hi poetae erant animo et ingenio. Tibullus vir doli fraudisque expers pia religione deos colens amoris et rustici otii studiosus non totus tamen a Venere vinctus nemini obtrectabat, nec peregrinos suis civibus aperte anteponere audebat; verum Propertius deorum hominumque irrisor est poeta superbus Graecus magis quam Romanus, qui turbam amicorum invita Minerva versus scribentium ipsius sectatores non minus quam sodales ut Ponticum Rassum alios ferre non recusat, qui tamen rivales poetas secum de principatu in elegiaca arte poetica certantes odit eosque a se despici simulat, cum suam gloriam qua princeps in elegia sit saepius debito iactet. Diligenter carmina Tibulli lectitavit nec unquam fortasse vestigia eius pressisset si odio alter alterum persecutus esset. Superbior fortasse suae gloriae obtrectationem timens in carminibus suis de amico tacet. Tibullus non removit imitatorem amicum.

Non tamen amici Horatius et Propertius fuisse videntur. Ne hi quidem alter alterum commemorant; tamen et ingenio erant diversissimi et diversissimam artem colebant. Nec Horatius ex Propertii arte ludenti atque in vilissimis rebus dummodo ne sint ab amore alienae, ut ille ipse profitetur (cf. II. 1 exord.), effusa, ex solo fere amore alimenta sibi depromenti, magnum gaudium percipere poterat, nec Propertius ex Horatii grandibus velis lyricis. Ne sermonem quidem Propertii hic illic asperrimum durissimumque, obsoleta novis mixta, Romana Graecis perfusa, Horatio placuisse puto. Iam vero Horatium et Propertium re vera inter se inimicos fuisse Asconius Pedianus ut videtur tradidit de Vergilio haec narrans (Reiff. p. 66): 'quare coaevos omnes poetas ita adiunctos habuit ut cum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent Varius Tucca Horatius Gallus Propertius.' 'Va-

rius et Tucca Vergilii et Horatii contubernales habentur inlustres' (Reiff. p. 48). Inter Gallum et Propertium nihil invidiae aut fuit (cf. c. III. 34 fin.), aut esse potuit. Ergo invidia inter se ardebant Propertius et reliqui praeter Gallum. Non est causa cur de hac re dubitemus. Praeterea fortasse recte sunt quae Paldamus (Römische Erotik p. 40) de duabus poetarum sectis disputavit, quarum altera Horatii auspiciis Romanas res Graeca forma scribendas esse censuit, altera a Graecis cum forma quodam modo res quoque describendas desumpsit praeeuntibus Catullo Propertioque. Horatii in arte poetica de Plauto Catullo aliis iudicia (Hor. ep. v. I. 19, 23 Prop. IV. 1, 1 sqq.) haec confirmare videntur. Ne in Graecorum quidem poetis elegiacis aestimandis consenserunt Horatius et Propertius. Hic Callimacho in elegia palmam praebet, Mimnermum semel commemorat v. I. 9, 11:

'plus in amore valet Mimnermi versus Homero',

hoc est, quilibet elegiacus poeta amores canens praestat in amore insigni epicorum carminum principi. Contra Callimachus is erat cuius nomine et gloria inter Romanos ipse solus dignus sibi videretur (IV. 1, 1 sqq. V. 1, 64). Verum Horatius Mimnermum Callimacho anteposuit veterem Graecum poetam Alexandrino, fortasse Propertium castigans dicit ep. II. 2, 100:

discedo Alcaeus puncto illius, ille meo quis?
quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.

Incredibile igitur est alterum ex altero locutiones vel verba desumpsisse. Errat Teuffelius dicens in hist. litt. Rom. § 246, 2 'Anklänge an den ersteren (Horatius) sind aber bei Properz nicht selten wie' etc. Praeter vv. Pr. IV. 23, 23, Hor. sat. I. 10, 92 ('i puer et citus haec' uterque versus praebet) nusquam similitudo fere ulla deprehenditur atque verba 'i puer et citus haec' communi hominum usu trita erant.*) Etiam vv. Pr. IV. 18, 22 et Hor. od. I. 28, 16 sententiam continent in scholis

---

*) 'i, citus i' quondam conieci pro tradito 'exclusis' in carmine IV. 16. v. 20 scribendum esse, fortasse recte.

sine dubio continuo vexatam. Semel bisve tamen fortasse Propertius Horatii meminit, dicit in initio carminis III. 23:

'Cui fuit indocti fugienda haec semita volgi,
ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.'

Fortasse irridet Horatii versum primum carminis III. 1: 'odi profanum volgus et arceo.' Discrimen certe duorum carminum non leve est. Deinde fortasse in v. I. 8, 43:

'nunc mihi summa licet contingere sidera plantis',
(sive dies seu nox venerit illa mea est)

facete irrisit Horatii versum c. I. 1, 36

'sublimi feriam sidera vertice.'

Ergo Propertii amicus Horatius non fuit nec Ovidii (cf. Teuffelii litt. Rom. hist. p. 431, 4) aut Domitii Marsi (cf. ibid. § 243).

Obtrectatores ut hoc addam Propertio non defuisse vv. III, 13, 13 sq. IV. 1, 12 sqq. docent.

Amicos amicae sequantur. Statim post bullam depositam Veneris disciplina per Lycinnam initiatus est ipso teste vv. IV. 15, 3 sqq.:

'Ut mihi praetexti pudor est velatus amictus
et data libertas noscere amoris iter,
illa rudes animos per noctes conscia primas
imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.'

In versu 3 Hauptii et Heinsii 'ablatus' (an invito pudor poetae ereptus est?) non magis probo quam quod traditum est 'velatus' aut quod Hertzbergius recepit 'elatus.' Sententiam hanc desidero: ut mihi praetexti pudor est sublatus amictus. Serva Cynthiae Lycinna fuit cf. v. IV. 15, 43. Ne post absolutam quidem primam disciplinam Lycinnae illecebras durus fugit, sed aliquotiens quidem pristinum amorem grato animo recordatus esse videtur, nisi me plane fallunt eiusdem carminis versus duo extremi:

'fabula nulla tuas de nobis concitet aures,
te solam et lignis funeris ustus amem.'

Placanda erat Lycinna, ne apud dominam in poetam saeviret. Diu tamen illud Lycinnae servitium non durasse opinor, ut iam exposui, non fugisset dominam, non mentitus esset Pro-

pertius in v. I. 1, 2. Nisi omnia fallunt eadem hora Cynthiam serva multo formosiorem et vidit et amavit cf. vv. IV. 15, 9, III. 32, 1 sq., IV. 10, 15. Amoris ardor et indefessa constantia hoc spondent. Fortasse absente Cynthia Lycinnam et cognovit et convenit. Fortasse 'Lycinna' verum Graecae servae nomen fuit. In ancillis quarum aut sortem iniquam deflet Cynthia mortua poetae per somnum apparens in carmine V. 7, aut quarum impietatem increpat, aut quas poetae superstiti commendat Lycinna non est, fortasse eam domina vendiderat ut Lygdamum se vendituram esse simile ob crimen minatur c. V. 8. vv. 79 sq.

Lycinnam igitur post breve temporis spatium dimisit dominam deperiens, per octo annos eodem fere ardore eadem constantia illi serviturus, nullam amicae aut ob avaritiam aut ob perfidiam aufugiturus, amicorum nec risui (IV. 25, 1 sq.) nec probis consiliis cessurus. Verum dixit vv. IV. 24, 13 sq.

'Correptus saevo Veneris torrebar aheno,
vinctus eram versas in mea terga manus.'

Idem qui superbit versu IV. 1, 12

'scriptorumque meas turba secuta rotas',

'unius servus amoris erat' (v. III. 13, 36). Aliquotiens ipse miserrimam suam condicionem cognovit, cf. vv. I. 6, 26 sq. IV. 11, 7, 8. Ne mortua quidem Cynthia in Propertii animo suam memoriam extingui passa est teste carmine V. 7. Huic amori optimos vitae annos consecravit. Post Cynthiam sepultam ipse paucos per annos superstes fuit. Huic uni celebrandae musam servire iussit, cf. vv. III. 12, 22, I. 7, 24, III 13, 36. Ubi Cynthia irata aut infesta est poetae, ipsa musa lenta sedet. Paucissima carmina reperiuntur, si postremum librum omittimus, quae non aliquo modo amorem eius sive felicem sive infelicem spectent. Verum fatetur, iuvenum ardoris est magnus poeta (I. 7, 24), si sobrius Amoris tela quamvis ipsi fuerint fatalia propulisset, admodum dubium est num eadem facilitate eadem gratia, qua levis soror, severa musa ei pulcherrima carmina suppeditasset; duo suppeditavit carmina V. 6 et 11. Novum nomen fictum poeta amicae dedit ut Catullus Tibullus Ovidius (cf. Trist. v. IV. 10, 60) puellis suis. Apu-

leius reprehensus quod pueros aliquot fictis nominibus vocaverit dicit in Apologiae capite decimo: 'eadem igitur opera accusent C. Catullum quod Lesbiam pro Clodia nominavit et Ticidam similiter quod quae Metella erat Perillam scripserit et Propertium qui Cynthiam dicat Hostiam dissimulet et Tibullum quod ei est Plania in animo Delia in versu etc.' Idem docet scholion ad Iuv. sat. VI. v. 7 a Barthio adv. 46, 3 suppeditatum aut antiquissimum aut recentissimum: 'Cynthia Propertii amica sumptuosa proprio nomine Hostia dicebatur, ait autem uxorem illam rusticanam non fuisse similem Cynthiae quae luxu vestium et margaritarum oblectabatur ut saepe conqueritur Propertius: quid iuvat ornato procedere vita capillo etc.' Hic ergo scholiasta Propertium ipse legit, atque ut sequentia testantur legit Catullum quoque. Nihilo minus Hostiam Propertii amicam vero nomine appellatam esse pace duorum testium honestissimorum dixerim incredibile est. Primum in Cynthia sola lex non valet quam statuit Bentleius ad Hor. c. II. 12, 13, qui scholiastae vestigia premens Horatiani dicentis 'eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit' addit id factitatum esse a poetis ut qui eius rei conscii essent facile pro ficto nomine verum substituere possent sine versus dispendio. Haec lex Augustea aetate nullam praeter Cynthiam exceptionem experta est. Sub Villio enim in v. Hor. sat. I. 2, 64 Annium Milonem latere versus egregie patitur sententia non patitur, ut recte Bentleius monuit. Sed nomina Cynthia et Hostia plurimis locis in Propertii carminibus permutari non possunt. Potest verum falso nomini substitui in vv. I. 1 1 3 8 22 4 8 6 16 8 8 11 8 12 6 20 15 26 18 22 II. 5 28 III. 16 11 32 3 8 33 2 34 93 IV. 21 9 25 6 V. 7 3 8 15 63; non potest substitui in vv. I. 4 19 25 5 31 8 42 11 1 23 26 12 20 15 2 17 5 18 5 6 31 19 1 15 21 II. 5 1 4 30 6 40 7 1 19 III. 13 7 57 16 1 19 1 7 24 2 5 29 24 30 25 IV. 24 3 V. 7 85 8 51, accedit Iuvenalis versus sat. VI. 7. Deinde quis fuit doctus ille avus de quo sermo fit in v. IV. 20, 8? Certe non Hostius poeta Histrici belli scriptor prisci obsoletique sermonis sui causa a Servio Macrobio Festo Prisciano commemoratus (cf. Weicherti poet. lat. reliqu. p. 13 sqq.) unus ex illis priscis poetis quorum no-

mina audire his Graeculis novis poetis doctis horrori erat, heres poesis Ennianae, qui annales continuavit eiusdem Ennii quem patrem quidem Propertius frigide vocat v. IV. 3, 6, cuius hirsutam coronam superbus filiolus spernit (v. V. 1, 61), cuius ut omnium qui annales scripserint duram coronam reicit v. IV. 1, 15, quem Ovidius arte carentem vocat v. Am. I. 15, 19, quem idem gravem, ingenio maximum arte rudem vocat v. Trist. II. 424, idem nihil annalibus hirsutius esse professus Trist. v. II. 259. Ergo Hostius priscus annalium scriptor primus post Ennium ceteroquin fere ignotus non poterat a Propertio doctus vocari et is a quo splendida Cynthiae fama refulgeret. Calvum doctum vocavit v. III. 34, 89 non Hostium. Nec ille propria quidem vocabuli significatione Cynthiae avus temporum ob rationem vocari potuisset sed avi aut pater aut avus avi. Hic vero poeta solus est Hostius quantum scimus aliqua laude dignus. Nam si omittimus quae Weichertus l. c. de Hosto Hostilio gentis proavo fabulatus est, duo Hostii restant de quibus aliquid traditum accepimus, uterque tamen infamis prior ob parricidium teste Plutarcho in vita Rom. c. 22, posterior ob avaritiam libidinemque teste Seneca (Nat. quaest. I. 16). An hi erant inlustres illi avi quos Cynthia iactare poterat (vv. III. 13, 10 et IV. 20, 8)? Ignobilissima et ignotissima Hostiorum gens fuisse videtur. Mihi vero vv. III. 13, 10 et IV. 20, 8 contemplanti avo opus esse videtur non solum docto aut inlustri sed inlustrissimo, cuius ne hodie quidem memoriam obiisse crediderim. Ergo nomen puellae non recte traditum esse concedendum erit, quamquam nihil certi ego hoc loco proponere possum. Conieci quondam pro Hostia duabus litterulis lenissime mutatis legendum esse Roscia, ita ut doctus avus fuerit Q. Roscius Gallus (cf. Hor. v. ep. II. 1, 82), qui temporum quoque ob rationem Cynthiae avus esse potuit, cum natus sit circa annum 620. Versus III. 13, 10 similiter ac vv. V. 9, 34 et 11, 30 explicandus esset. Favent huic coniecturae puellae pulchritudo (cf. Catuli verba apud Cic. de nat. deor. c. I. 28), artis scaenicae studium cf. vv. II. 3, 17 sqq., quod ipsa saepe non invita ut videtur docta vocatur, quod versu III. 11, 6 vetatur huius nominis gloriam post mortem se consecuturam esse sperare. Concedo histrionem

etsi celeberrimum non eum esse potuisse a quo splendida matronae Romanae gloria refulgeret. Sed potest obici antiquorum matronae Romanae morum nihil fere in Cynthia indagari posse. Si non Roscii (cf. quae Cicero de moribus eius in oratione pro illo habita dicit) tamen volgaris scaenicae gentis studia cum ardore quodam amplexa est.

De parentibus et propinquis Cynthiae pauca scimus. Pater videtur ante Propertii amorem obiise, matrem habuit superstitem, ut testantur vv. II. 6, 11 III. 15, 20, sororem habuit, cf. v. II. 6, 12, fortasse utraque ante carmen V. 7 scriptum (cf. v. 23) mortua erat, alios propinquos habuit cf. v. II. 6, 8, amicas (cf. ibid.) ut amicos omittam. Sed quaenam ipsa fuit, num libertina aut meretrix ut plurimi hucusque iudiaverunt? Carmine II. 7 luce clarius efficitur amantes matrimonii vinculo iungi non potuisse. Promittit enim poeta se nunquam uxorem ducturum esse Cynthiae propter amorem, ne verbum quidem de ipsius cum Cynthia ineundo matrimonio, firmissimo illius amoris vinculo, addens. Periculum erat ne uxorem lege ducere cogeretur, de Cynthia ducenda ne cogitat quidem. De iusti matrimonii impedimentis Walterus (Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian § 521) egit. Plurima ab hac quaestione prorsus aliena sunt. Libertina Cynthia non fuit, avum enim habet celeberrimum (cf. v. IV. 20, 8), fortunata est domus eius (ibid. v. 9), illustres avos iactare potuit (v. III. 13, 10), eadem carmine III. 23 sumptuosa mulier est quae non reiecto libera vadat amictu. Adsentior Gruppio qui primus negavit eam libertinam fuisse (Röm. Elegie I. p. 342). Eosdem ob versus non videtur publice in scaena egisse; plerumque enim libertinae aut homines infimae plebis in scaenam prodibant. Nec probabile est deprensi adulterii infamiam vel alius criminis turpitudinem hisce temporibus a senatu vel a principe tolli non potuisse, neque ut hoc fieret poetam optaturum fuisse. Ne meretricem quidem publicam Cynthiam fuisse docent vv. I. 5, 7, II. 1, 49, III. 13, 9, c. III. 23 et 24, vv. IV. 14, 29 sqq. (conf. Hor. sat. v. I. 2, 94) V. 7, 39. Viles quaerit poeta in carmine I. 1. Me iudice iam ante Propertii amorem Cynthia in iusto matrimonio collocata erat. Haec sola coniectura omnibus perpensis

restat invicta. Quae Hertzbergius contra monet (quaest. Prop. p. 35) pace Baehrensii qui ea probat (in editionis Prop. p. LI.) dixerim puerilia sunt, aliud est solam Cynthiam, aliud uxorem et Cynthiam amare et convenire. Primum Cynthiam maritam fuisse carmen II. 7 spondet. Hac sola condicione Cynthia poetae uxor, quamdiu quidem coniunx viveret, nullo modo fieri potuit. Poeta poterat coniugio ab amica abduci, puella seiuncta erat, magis seiungi non potuit, cf. vv. I. 8, 21 (probo 'taedae') II. 6, 41. Versus II. 7—12 minime eum qui vagam puellam adloquitur sapiunt, sin Cynthia vaga puella fuit, lege infamis, in quam stuprum non committeretur, poterat concubinatu publice riteque sibi iungere puerosque tollere quod nullo modo eum sperare potuisse vv. 13 sq. et 20 ostendunt. Ergo puella ingenua fuit non lege infamis. Maritam vero eam fuisse satis superque demonstratur Iuvenalis testimonio qui initio satirae sextae haec dicit:

'Credo Pudicitiam Saturno rege moratam
in terris . . .
silvestrem montana torum cum sterneret uxor
frondibus et culmo vicinarumque ferarum
pellibus, haud similis tibi Cynthia nec tibi cuius
turbavit nitidos extinctus passer ocellos.'

Comparatio non modo claudicaret sed prorsus nulla esset, nisi Cynthia sicut Lesbia uxor cum sumptuosa tum impudica fuisset, de fide enim coniugali agitur. De matrimonio cum Propertio fortasse inito non cogitandum esse Lesbia quae sequitur docet. Dicit poeta: montana illa uxor pauper quidem et obscura pudica tamen fuit, non similis Cynthiae aut Lesbiae, Romanis matronis, quae divites impudicae tamen fuerint, nec eo minus carminibus celebratae sint. Deinde Propertius dicit in v. III. 18, 33:

'cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus',

hoc de filio additamentum otiosissimum ne dicam impudentissimum esset si non marita fuisset. Tum vv. III. 23, 20 sq. dicit:

'nec dicet timeo, propera iam surgere quaeso,
infelix, hodie vir mihi rure venit.'

et v. 22 . . . 'nolim furta pudica tori.' Sine dubio hi versus de Cynthia eiusque coniuge intellegendi sunt (cf. c. III. 24 et V. 5). Versibus III. 32, 43 sqq. poeta haec dicit:

'O nimium nostro felicem tempore Romam
si contra mores una puella facit.
haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit,
quae sequitur certe est invidiosa minus.'

et quae secuntur. De violato coniugis non Propertii amore agitur, id quod demonstrant vv. 21 sqq. 31 sq. 55 sqq. Lesbiae quoque nomen hoc demonstrat. Praeterea coniecturae meae egregie favent vv. IV. 3, 47 sqq.

'Quippe coronatos alienum ad limen amantes
nocturnaeque canes ebria signa fugae,
ut per te clausas sciat excantare puellas,
qui volet austeros arte ferire viros.'

cum quibus versibus conferas Ovid. Trist. v. II. 461:

'multaque dat furti talis praecepta docetque
qua nuptae possint fallere ab arte viros.'

De Tibulli carminibus, quibus furtivum amorem celebret, haec dicit, secuntur versus duo, novum argumentum opinioni meae:

'invenies eadem blandi praecepta Properti,
districtus minima nec tamen ille nota est.'

Nimirum Propertius omnibus carminibus suis non quidem artem amandi, pluribus enim veris et propriis praeceptis opus fuisset, sed artem furtive amandi, coniuges fallendi dedit, quia Propertius omnem operam omne ingenium furtivo amori celebrando navavit. Hanc illorum versuum Ovidianorum veram esse interpretationem non negabis ubi conspexeris quae praecedunt et quae secuntur. His praemissis qui e v. II. 6, 10 conligeret Cynthiam a coniuge filium habuisse ei ego nescio an assentirer, poterat enim hic filius ante versum III. 18, 33 scriptum utpote ab impudica matre suis ipsius gaudiis posthabitus perire. Aliquid etiam hi versus ad comprobandam meam sententiam faciunt: II. 6, 25 sq.

'templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
si cuivis nuptae cuilibet esse licet?'

II. 9, 42: 'et furtim misero ianua aperta mihi.'

II. 2, 4: 'Iuppiter ignoro pristina furta tua.'
I. 3, 43 sq.: 'Interdum leviter mecum deserta querebar
externo longas saepe in amore moras.'
(cf. v. V. 8, 83, Ov. Her. ep. V. 162.) V. 7, 15 sq.
'iamne tibi exciderant vigilacis furta Suburae
et mea nocturnis trita fenestra dolis?'

Adicerem vv. IV. 8, 25 sq. si eo loco quo traditi sunt ferri possent. Ne ii quidem loci quibus poeta turpitudinem amoris sui ipse agnoscit, neglegendi sunt, vv. I. 6, 25 sq.
'me sine quem semper voluit Fortuna iacere,
hanc animam extremae reddere nequitiae,'
II. 3, 4 'et turpis de te iam liber alter erit'
III. 16, 35 sq. 'at pudeat, certe pudeat, nisi forte quod aiunt
turpis amor surdis auribus esse solet.'

Qui in voce 'puella' offendit adeat versus IV. 12, 17, 13, 23. Eodem iure hoc vocabulo Propertius usus est quo Catullus Tibullusque.

Quisnam Cynthiae coniunx fuerit nescio, puto tamen eum per plurimum tempus Romae non fuisse, cf. cc. I. 3; I. 16, vv. II. 5, 1—2. 6, 1—8. III. 18, 35. 23, 19 sq., 29, 23 sq. Quo tempore carmen III. 32 compositum est coniunx inter vivos non fuisse videtur, dicit enim poeta vv. 27 sq.: tu non ut Lesbia coniugem occidisti quicquid rumor inimicus dicet. Non puto hoc carmen post annum 728 vel 729 scriptum esse.

Ergo uxor quidem Cynthia fuit nec mulier togata qualis Delia Tibulli amica (cf. v. Tib. I. 6, 67 sq.) sed mulier stolata, matrona, cf. vv. III. 23, 13 sqq., IV. 14, 29 sqq. (conl. Hor. sat. I. 2, 94). Lesbiae ut ex Iuvenalis sextae satirae initio apparet similis fuit, nec montanis uxoribus Iuvenalis duas meretrices sed duas matronas opponere debuit, non secundum sed primum mulierum ordinem. Coas vestes non aspernata est (vv. I. 2, 2, II. 1, 6, V. 5, 23, 55) non tamen ut corporis formam nudam ostenderet sed ut ornatior incederet. Anulum equestrem gestabat (cf. v. V. 7, 9); dives erat (cf. vv. I. 3, 41, cc. III. 23 et 24, vv. IV. 14, 29 sqq. III. 29, 26). Verum casta matrona mehercle non fuit. Frustra sive ipsa se laudat sive poeta fidem castitatemque eius laudibus effert his locis:

I. 1, 5 'donec me docuit castas odisse puellas'.
I. 6, 18 'et nihil infido durius esse viro.'
11, 17 'non quia perspecta non es mihi cognita fama',
II. 1, 49 sq. 'si memini solet illa leves culpare puellas,
et totam ex Helena non probat Iliada.'
III. 29, 13, 32 sqq. 'me similem vestris moribus esse putas?
non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus unus,
vel tu vel si quis verior esse potest.'
IV. 6, 9 sqq. 19 sqq. 'gaudet me vacuo solam tabescere lecto,
si placet insultet Lygdame morte mea,
non me moribus illa sed herbis improba vicit.'
III. 34, 11 'quod si non constans illa et tam certa fuisset.'

Non movemur querelis quas emittit in carmine V. 7 (cf. vv. 13, 21, 52: 'iuro ego me servasse fidem' etc.) Perfida mulier fuit, duris moribus, ut coniugem continuo decepit etiam Propertii aliorumque amorem elusit. Hi versus hoc ostendent: I. 8, 17; 13, 4; 15, 1 sqq.

'saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
hac tamen excepta Cynthia perfidia';
23 'quarum nulla tuos poterat convertere mores',
25 sq. 'desine iam revocare tuis periuria verbis
Cynthia et oblitos parce movere deos.'
35 sqq. 16, 9 sq.
'nec possum infamis dominae defendere noctes,
nobilis obscenis tradita carminibus.'
11 sq. 'nec tamen illa suae revocatur parcere famae
turpior et saecli vivere luxuria.'
47; 17, 16; 18, 5 sq., 23 sqq.
II. 5, 1 sqq. 'hoc verum est tota te ferri Cynthia Roma
et non ignota vivere nequitia?
haec merui sperare? dabis mihi perfida poenas.'

21, 28; 6, 1 sqq., 37; 8, 5, 13 sq., 16; 9, 1, 2, 19 sqq., 31 sqq. cc. III. 16, 17, 21. 23. vv. 24, 15 sqq.

'ah peream si me ista movent dispendia, sed me
fallaci dominae iam pudet esse iocum.'
47 sq. 'dura est quae multis simulatum fingit amorem
et se plus uni si qua parare potest.'

26, 3; 28, 6; 32, 7 sqq., 17, 29 sq., 45 sq., 62. IV. 5, 2; 19, 2 sqq. c. 20. v. 21, 7. Idem denique ostendunt rixa qua in carmine IV, 8 gaudet dolente animo et carmen V. 5, carmen V. 8 quoque. Matrona fuit, nec tamen timebat in triviis Veneris operibus se dare vv. V. 7, 19 sq. Deos periuriis violavit cf. vv. I. 15, 25 sq. 35 sqq. III. 16, 47 sqq. 28, 6 sqq. In ipsis templis peccavit (vv. II. 6, 27 sqq. III. 19, 10). Isidis sacris operam dedit, ut amatorem promissa nocte deciperet, cf. vv. V. 5, 33 sq. et c. III. 32. Infamis vocatur vv. I. 16, 9 sqq. cf. vv. II. 5, 1 sq. III. 18, 37; 32, 21 sqq. Contemnit murmura famae (v. II. 5, 29). Dura puella fuit (vv. I. 17, 16. II. 1, 78). Frustra mite servitium poeta iactat v. III. 20, 20, grave erat (v. I. 5, 19), superbum (v. IV. 17, 41), auro puella foede se vendidit, cf. c. III. 16. IV. 13. V. 5. v. III. 23, 17; frustra poeta sinceritatem amicae laudat vv. I. 8, 27 sqq. III. 20, 25 sqq. III. 26, 21 sqq. Aliquid gaudii certe etiam e carminibus poetae percepit, cf. vv. I. 8, 40. III. 26, 25 sq., tamen quamquam amorem se non emisse contendit, non solum carmina sed etiam munera amicae dare cogebatur, cf. vv. II. 8, 11 sq. Aliquotiens ipsa blandis precibus amorem prodidit cf. vv. I. 6, 5 sqq. 15, 42. III. 20, 3 sqq., num tamen in his solo amore mota fuerit, iure dubitabit qui leget v. IV. 25, 5:

'semper ab insidiis Cynthia flere soles.'

Plurimos amatores conlegit cf. cc. I. 16. II. 6 et vv. II. 3, 33. III. 19, 5. Nomen habebat (v. III. 20, 19). Repudiato infamiam movet cf. vv. I. 4, 21 sq. 5, 25 sqq. III. 24, 7, quem recepit invidia sequitur cf. vv. I. 18, 7. III. 17, 11; 26, 21 sq. Mulier erat luxuriosa, quae non solum forma et artibus sed etiam quaesitis inlecebris, Cois vestibus, gemmis pretiosis, unguentis, faciei medicaminibus (v. IV. 24, 8) iuvenum calores ciere studebat quam plurimorum cum dolore poetae cf. vv. III. 18, 23 sqq. et c. I. 2.

Contra poeta quantopere Cynthiam amaverit, infelicissime amaverit, nefas est dicere. Nullis puellae moribus deterretur cf. v. I. 17, 16

'quamvis dura tamen rara puella fuit.'

Repudiatus ipse redit supplex ut ipse pulcherrime testatur

carmine III. 25, amorem infelicem reiectumque non dimittit cf. vv. I. 12, 19 sq. 15, 29 sqq. 18, 13 sq. 23 sqq. II. 9, 43 sqq. III. 17, 17 sq. 24, 39 sq. 25. Gravissima incommoda labores mortem ferre non recusat cf. vv. II. 9, 51. III. 24, 29 sqq, 26, 35 sqq. 57 sq.; cautior tamen est in v. IV. 21, 33. Non igitur ipse potissimum (paululo confidentius fidem suam iactans v. III. 20, 34), sed puella increpanda est quod poetae quoque fides aliquotiens labitur, cf. vv. I. 1, 5 sqq. c. II. 4. vv. III. 22, 1—14, 23 sq. cc. III. 23 et 24. vv. 29, 14. IV. 15, 45; 16, 9; 19, 1. V. 7, 27 sq., 39 sq.; 8, 28 sqq. Non minus tamen formosam puellam fuisse quam perfidam credere debemus, alioquin poetae indefessus amor intellegi aut explicari non posset. Ipse in utramque partem recte iudicasse videtur v. II. 5, 28:

'Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.'

cf. I. 17, 16: 'quamvis dura tamen rara puella fuit.' Non recte Weichertus putavit (de Hostio poeta § 5) poetam non tantum eius forma quantum ingenii venustate captum esse atque amore irretitum. Despicere se quidem formam Cynthiae iratus dixit c. IV. 24, maiora iactat vv. I. 4, 11. II. 3, 9. III. 13, 9. Pulchritudinem corporis, quamvis annis maior fuerit (III. 18, 19 sq.), amplissimam possedisse, artes vero invitis potius Minerva musisque iactasse videtur (cf. vv. III. 11, 3—6). De forma eius hi versus sufficient: II. 2, 1 sqq.

'Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto,
at me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
Iuppiter ignoro pristina furta tua.'

I. 2, 7, 30; 4, 5—10; 19, 15; II. 3 sqq. (quamquam faciem minoris quam artes aestimat, tamen non potest facere quin redeat ad faciem vv. 32 sqq. 39 sqq.) 5, 28. III. 12, 33 sq. 20, 19:

'quod si nec nomen nec me tua forma teneret
posset servitium mite tenere tuum'.

24, 18, 40 sq. 29, 25—30: 'heu quantum per se candida forma valet!' 33, 36; 34, 4. IV. 8, 35:

'gaude quod nulla est aeque formosa, doleres
si qua foret, nunc sis iure superba licet.'

10, 17 'et pete qua polles ut sit tibi forma perennis
inque meum semper stent tua regna caput.'
20, 7 'est tibi forma potens sunt castae Palladis artes.'
23, 13 'an tibi nescio quae visa est formosior?'

Laudat poeta etiam artes puellae sive ne solo formae amore matronam adiisse videatur sive puellae gratia quae docti avi docta neptis videri voluit; aliquid fortasse etiam gavisus est quod carmina sua a puella benigne et grato animo recepta et laudata erant. Saepius tamen se sola puellae forma inflammari non obscure fatetur. Artes formae anteponit in vv. I. 4, 11, II. 3, 9, carmina puella facit (cf. vv. I. 2, 27, II. 3, 21 sqq.), carmina poetae legit, colit recitat probat (cf. vv. III. 13, 9; 24, 21; 26, 25; 33, 38). Minervae artes habet vv. I. 2, 30. IV. 20, 7, quamquam nere quoque et texere scit vv. I. 3, 41. IV. 6, 16, num vero hanc artem saepe exercuerit dubito, sciebat enim etiam vino nocturnam tristitiam expellere (vv. I. 16, 5. III. 33, 35). Cum gratia loquitur (v. I. 2, 29), impudica tamen saepe, permittit enim poeta v. IV. 10, 24 'ut sint nequitiae libera verba tuae' (fortasse igitur in v. V. 8, 22 Marklandus et Itali quidam teste Burmanno recte 'iocos' scripserunt). Formose saltat v. II. 3, 17, lyra insignis est vv. I. 2, 28; 3, 42; II, 1, 9; 3, 19 sq. Doctam poeta vocat puellam vv. I. 7, 11, III. 13, 11 (II. 3, 20). Verum meminerimus eorum quae Ovidius dixit in Arte am. vv. II. 281 sqq.:

'sunt tamen et doctae, rarissima turba puellae,
altera non doctae turba sed esse volunt.'

Carmina recitare, lyra canere, puellae innuptae non raro didicerunt Romae cf. Hor. sat. v. I. 10, 91, Ovid. Am. vv. II. 4, 25 sqq. Art. am. vv. III. 315, 349, Stat. silv. v. III. 5, 63 (cf. etiam Plin. ep. IV. 19). Tamen qui Cynthiae mores adcuratius considerat vix potest facere quin ei in mentem veniat histrionum illarum amatricum, poetarum grammaticorumque interpretum a Iuvenale sexta satira castigatarum. Gaudet Cynthia se laudari quod formose saltet Iaccho (v. II. 3, 17), ludis corrumpitur v. III. 19, 9, rivalis carminis III. 24^{b}, ipse aut histrio aut poeta fuit. Ipsa annis maior poetam odit iuvenem v. III. 18, 19; ergo quia poeta ne munera quidem continuo Cynthiae

dedisse videtur, ob ingenium artemque eum a perfida puella amatum esse potissimum putes. Eo vero libidinis avaritiaeque foedissimae processit ut inlustris matrona lenae disciplinam sustinere non recusaret. Puto enim Cynthiam esse cui illa praecepta meretricia pronuntiantur in c. V. 5. Primum enim lena poetae inimicissima fuisse multaque tristia intulisse videtur, cf. vv. 17 sq. 54 sqq., 61 sq., 71 sq. Docet lena puellam diutius a Propertio amatam, cf. v. 72. Cynthiam hanc esse e vv. 34, 36 conlatis carminibus III. 33, IV, 10 probabiliter conicitur, cf. etiam vv. 37 sq. et III. 14, 14. Non nego me in v. 29 quoque non simulandi sed prohibendi notionem desiderare velut verbi gratia 'et remorare virum' cf. v. III. 23, 16 et Plauti Mil. v. 920. Sin Cynthia haec lenae discipula est, saepe lenam convenisse eiusque amica fuisse credenda est, cf. vv. 71 sq. Hanc domum in qua puella lenam et poeta puellam saepe convenit in Subura sitam fuisse e v. V. 7, 15 conligo. Iam vero etiam in carmine I. 16 de Cynthiae domo agitur cf. vv. 5 sqq., 11 sq., 36, 41—48, nec mihi persuaserim, ut credam, hanc domum cuius nobilis ianua (v. 10) magnis olim patefacta erat triumphis, cuius limina inaurati picti currus celebrabant, in Subura sitam fuisse, quamquam versum secundum nec explicare nec emendare possum. Ubi vero de ianua poeta loquitur dominae sibi sive molli sive dura vv. II. 9, 42, III. 16, 6; 20, 23, IV. 15, 10 una eademque intellegenda esse videtur ea quam in carmine I. 16 adloquitur. Fortasse Cynthia duas domos habebat alteram antiquis triumphis insignem prope aedem Vestae in foro sitam, in quam aedem sine stola eam aliquotiens ivisse vv. III. 29, 26 sqq. docent (nam traditum versuum ordinem contra Rossbergium et Magnum teneo, vide Zeitschr. für Gymnasialwesen Berlin 1878, Jahresberichte p. 114), alteram in Subura sitam, lenae locatam, ab ipsa furtivorum amorum causa non raris noctibus habitatam. Poeta ut reliqui viliores amatores saepius in altera domo, rarius in priore admissus est cum ipse in priore potius domo quae praetoribus aliisque aurei velleris hominibus patebat admitti cuperet, ubi facilius per ianuam, etsi ab amaro custode munita erat, introire licebat, ubi per rimam introspici poterat vv. I. 16, 27, III. (25, 17 sq.) 33, 23 sqq., 35,

ubi non canis fuisse videtur vigilax, alioquin hic quoque devoveretur in carmine III. 23. Contra in Suburana domo lena et canis ob vilia munera poetae infestissimae saepe timentem propellebant vv. V. 5, 71 sq. Quare Cynthia sive ob superstitiosos timores sive nescio qua alia re commota lenam domare aut dimittere non ausa cum tamen ne in priorem quidem domum poetam recipere aut vellet aut posset praesente coniuge et simulato itinere in Suburanam domum confugiendum esset per fenestram dolose poetam convenire cogi eoque magis de eo mereri videbatur, cf. v. V. 7, 15. Sed parum certa haec sunt. Hoc tamen his omnibus effici puto Cynthiam fuisse matronam splendidam divitem formosissimam ne artium quidem omnino rudem, mulierem tamen levissimam et hodierni morum magistri sententia foedissima impudicitia perfidia avaritia infamem moribus ut Plautus diceret meretricissimis. Talia autem Romae tum temporis non prorsus nova erant et inaudita. Lesbia iam praecesserat digna hercle novae Quadrantariae sodalis. Praeterea satis probi in hac re testes sunt, ipse Propertius vv. III. 32, 47 sqq. IV. 12, 18 (II. 6, 25 sq. IV. 13, 23 sqq. Horatius vv. c. III. 6, 17 sqq.; 24, 20 sqq. Ovid. Am. vv. I. 8, 43).

Cynthiam Tibure natam esse Hertzbergius e. v. V. 7, 85

'Tiburtina iacet hac aurea Cynthia terra'.

coniecit, reliqui editores cum Lachmanno verba transponentes sic scripserunt:

'Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra'

unde efficeretur Tibure eam sepultam esse. Equidem in neutram partem discedo sed vv. 81—86

'Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis
et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
hic carmen media dignum me scribe columna,
sed breve quod currens vector ab urbe legat,
Tiburtina iacet hac aurea Cynthia terra.
accessit ripae laus Aniene tuae.'

spurios esse iudico. Primum v. 81 ut traditur ineptus est, sed ne recepta quidem Brouckhousii emendatione qui scribit

'pomosis Anio qua spumifer incubat arvis'

defendi potest, verba 'spumifer' et 'incubat' male iunguntur.

Propertius scripsisset 'incumbit.' Non minus ineptus est sequens versus. De certo tumulo agitur in quo Cynthia sepulta iacet. Versu 81 poeta iubetur proxime flumen columnam ponere proxime eadem opera praetervehentes, poterat enim tumulus haud procul a flumine abesse. Iam vero incertam loci definitionem feremus quae sequitur? Non enim in fine Romani Tiburtinique agri sepulta fingitur sed Tibure ut v. 81 docet, ergo similia haec sunt quasi quis Coloniae Agrippinae moriens prope Rhenum sepulcrum sibi parari velit addatque 'atque in Germania quidem.' Doctior quoque hic versus est quam in mortuae Cynthiae ore querulo ferri possit. Iam vero ipse titulus non minus fastuosus est quam fatuus futilisque. Sicut traditur versus 'Tiburtina iacet' etc., non potest ferri, non solum propter non productam posteriorem syllabam vocis 'iacet', hoc levius est, sed sequitur versus

'accessit ripae laus Aniene tuae',

haec non possunt non referri ad iacentem prope Anienem puellam mortuam. Otiosissimum etiam est ipsum cognomen 'Tiburtina', ut concedam quod non concedendum est Tibure natam esse Cynthiam, quae enim haec est laus vel gloria puellam Tibure sepultam in eadem urbe natam quoque esse, praesertim cum Romae aut per plurimum tempus aut diu certe vixerit, cum Romae gloriam sibi comparaverit, cum Romae Propertii amore et carminibus polluerit? Municipem Cynthiam interpolator aliquis Tiburtinus sibi vindicare voluisse videtur. Nam ne Mureti quidem coniectura a Lachmanno probata placet, tum enim verba 'Tiburtina terra' prorsus otiosa sunt. Sequitur 'aurea Cynthia', frigida laus est; 'aurea anus' (Tib. v. I. 6, 58) benevolum gratumque poetae animum spirant, nec in χρύσεος πολιήτης (cf. Paleium ad hunc versum) aut 'aureus nauta' aut 'aureus Homerus' offenderem utpote de celeberrimis non infamibus viris dicta quae essent. Sed Cynthia aurea vel eam ob causam vocanda non erat ne Propertius puellae auri cupidinem ipsam cavillantem fecisse iudicaretur. Quotus quisque auream Cynthiam novisset si poeta fecisset quod illa optavit ut faceret vv. 77 sq.

'et quoscunque meo fecisti nomine versus
ure mihi, laudes desine habere meas.'

Deinde pessime hi sex versus conveniunt cum totius carminis natura. Querula voce (v. 95) Cynthia loquitur, flebili sermone suam fidem profitetur immeritamque a poeta se esse desertam queritur. Innocens damnata sibi poetaeque videtur. Tristitia quaedam per totum carmen perfusa est, ea tamen quacum tranquillitas animi innocentis et alma pax camporum Elysiorum coniunctae sunt. Lege pulcherrimos versus 41 sq. 59 sqq. 87 sqq. Initio perorationis suae paululum puella emota est, sed paulatim blandior blandiorque querela emittitur. Pessime his teneris innocentis puellae querelis superbia tituli inseritur. Nihil amplius puella optare debebat quam ut poeta fidem a se servatam esse crederet sibique reconciliaretur (vel ut poeta memoria amoris sui paene reconciliatus ipse hoc eo carmine perficeret). Denique haec considera: Tibure sepulta esse his versibus Cynthia fingitur, verum neglege eos, non dubitabis quin Romae hoc carmen scriptum, quin Romae puella mortua sepultaque sit. In carmine V. 8 quod brevi tempore ante septimum carmen scriptum est lectus Romae est in Esquiliis. Brevine post 'lecti frigida regna' Tibure erant v. 7, 6? Tibur ambos transmigrasse non verbo in quinto libro indicatur cum tamen ex vv. 4, 15 sqq., 29 sqq., 35 sqq. unusquisque coniciat Romae puellam si non sepultam tamen mortuam esse. Si Tibure mortua est tum, iterum dico, versu 82 nihil unquam scriptum est otiosius. Sin Cynthia Romae mortua est non Tibure sepulta est, an haec mulier tam exiguos exequias nacta, ab omnibus deserta usque ad Anienem elata ibique cremata est praesertim cum parum religiose festinasse dicantur ei qui corpus efferebant, ut quam primum negotium suum perficerent vv. 29 sq.? E versu 4 etsi subobscuro, hoc nulla opera elicietur, immo vv. 43 et 79 sq. prope Propertii domicilium sepultam eam esse docent, hoc est prope Romam. Ergo versibus 81—86 nihil auctoritatis inest, quamquam antiquissimo tempore eos componi potuisse propter v. 82 non negaverim. Cynthiam Romanam puellam Romaeque natam fuisse spondet Iuvenalis locus in mulieres Romanas invecturi. Deinde Propertius dicit vv. II. 3, 27 sqq.

'Non non humani partus sunt talia dona,
ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis,
Romana accumbes prima puella Iovi'.

Mater Romae est (v. III. 15, 20), doctus avus sine dubio Romae vixit. Idem poetae in Romanas mulieres universae testantur invectiones, cf. vv. III. 32, 43 usque ad finem, IV. 13, 23 sqq. IV. 29—34. Idem etiam fortasse v. III. 32, 5 testatur:

'curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?'

Si puella Tibure nata erat poeta ipse sibi respondere poterat, otiosum erat rogare. Ergo Cynthia Romae nata Romaeque sepulta est.

Cum ad ipsum iam amoris decursum transeundum sit, fateor me non modo integram planamve sed ne rudissimam quidem enarrationem continuam proferre posse, paucissima enim de librorum et carminum temporibus constant quae suis locis addam. De initio amoris ac tempore primi libri carminis primi Lachmanno adstipulor. Hoc carmen est tempore postremum in primo libro, brevi ante editionem compositum. Annum furoris in versu septimo de anno discidii intellego; cf. v. IV. 16, 9

'peccaram semel et totum sum pulsus in annum'.

Cum Cynthia lapsum poetam dimitteret, hic cogebatur castas odisse puellas et viles sequi mulieres, ita Cynthia versum interpretari debuit, ita ego interpretor. Conferantur praecipue carmina III. 23 et 24. Sed quamquam poeta viles quaerit Cynthiae amore torqueri non desinit. Concedo vilibus quaerendis poetam Cynthiae gratiorem fieri non potuisse. Alia tamen res est si poeta a puella dimissus itaque coactus quippe qui Amoris telis non cessantibus dilaceretur viles quaerit, nec tamen Cynthiam amare desinit, alia est si Cynthiam per aliquod tempus amavit tum vero quia non statim ut cupivit receptus est in amore non sibi constitit sed viles praetulit, tum subridiculum esset confiteri se non desiisse Cynthiam amare, cavendum fuisset ne viles amores suos verbo indicaret. Praeterea Milanionis exemplum pessime in hunc locum quadraret. Milanion enim fideliter Atalanten amavit, labores tulit, poeta labores per tempus aliquod latos mox fugisset, viles quaesi-

visset, non in eodem amore perseverasset, verbis profiteretur quae a factis abhorrerent. Frustra gloriaretur v. III. 20, 34

'ultima talis erit quae mea prima fides';

cur Amorem increparet vv. 17 sq. (I. 1):

'in me tardus Amor non ullas cogitat artes
nec meminit notas ut prius ire vias?'

Immo haec dicit: in me quoque preces valerent nisi tardus Amor esset, nisi nullas artes cogitaret in meo amore. Praeterea prorsus non intellegitur cur Cynthia poetam non receperit diutius se amantem carminibus ipsam celebraturum, nullis ante cupidinibus contactum, perfidiae nondum convictum, cur expectaverit donec ille cum vilibus puellis satis lusisset. Contraria ipse profitetur vv. III. 20, 25 sqq.

'nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis,
quicquid eram hoc animi gratia magna tui;
cum te tam multi peterent tu me una petisti,
possum ego naturae non meminisse tuae?'

quibus adiunge quae dicit vv. I. 15, 41 sq.

'quis ego nunc pereo similes moniturus amantes
o nullis tutum credere blanditiis'.

et v. IV. 25, 5: 'nil moveor lacrimis ista sum captus ab arte'. Praeterea poeta dicit vv. I. 12, 13 sq.

'nunc primum longas solus cognoscere noctes
cogor et ipse meis auribus esse gravis'.

Deinde versus 18 primi carminis non potest secerni ab hexametro suo, intellegendum est: nuper quidem Amor mihi candidus adnuit, nunc non meminit easdem vias sibi notas ire; nam qui amatam per annum volens fugit, is ipse sueta deserit, Amor notas vias non iure fugisse iudicatur. Versu 18 poeta idem dicit quod vv. I. 12, 7 sq.

'olim gratus eram, non illo tempore cuiquam
contigit ut simili posset amare fide'.

Deinde dubito num verbis 'dominae nostrae' in versu 21 de puella loqui potuerit olim quaesita postea relicta vilibus posthabita. Tum quid sibi volt v. 28:

'sit modo libertas quae velit ira loqui?'

Sibi ipsi irascendum erat quod non ut Milanion sibi consti-

tisset in amore. Iram quam ille voce emittere non audet, puella parare non poterat, nisi poeta iam antea admissus puellae servivit, tum leve ob peccatum reiectus in omnia neglecti amatoris supplicia irruit nec tamen eo minus quodam modo sub imperio pristinae dominae quam amare non desiit mansit, in timore et amore suo suetum servitium ne abiectum quidem ipse abicere non potuit. Knauthius dicit in diss. sua (Quaest. Pr. Halis 1868) p. 12: 'quo enim iure eum qui perfide Cynthiam destituisset iram iactare potuisse putabimus? Nonne vero potius ei si ad pacem redire volebat ut quidem vehementer se cupere dicit (9—24) venia peccati petenda erat?' Nimirum poeta, quamquam se peccavisse non negavit vv. I. 1, 35 sqq. tamen parvi hoc peccatum aestimavit hanc poenam minime meruisse sibi videbatur (cf. v. III. 20, 34). Poeta efferbuit quod mulier quae ipsa cotidie peccaret eum qui semel neglegentius amicae servire visus esset castae matronae, severae morum magistrae, prae se ferens speciem his suppliciis affecisset. Denique vv. 35 sqq. poeta haec dicit: 'meum malum vitate', hoc est: cavete ne felicem amorem ut ego feci perdatis sive peccato sive superbia sive incuria sive alia nescio qua neglegentia, hoc in medio relinquatur, nolite adsueto unquam amore locum mutare; sin Cynthiae amor ei suetus erat, de mutuo concordi amore praeterito hi versus interpretandi sunt. Quid tandem sibi volt hoc primum carmen? An scripsit ut alios moneat ut in uno amore quamvis infelix sit sibi constent? Tum ipse prae reliquis sibi accusandus erat nec querula voce adiciendum: 'cum tamen adversos cogor habere deos'. Si hoc carmen primum fuit quod poeta scripsit, prorsus non apparet cur hoc carmen ediderit, si vere peccati eum paenitebat: condonarem si submisisset carmen quo tandem immeritus ab amica receptus gaudia sua expressisset, ut fecit (c. III. 14 et 15), puellamque grato animo laudibus extulisset, sed in altero carmine pergit stomachari et queri, in tertio non multum abest quin ipse superbus perfidiam suam iactet. Haecine carmina scripsit et edidit cum novo discidio orto puella iterum reconcilianda fuit? Si denique consideraveris artem qua carmina primi libri inter se digesta sint, carmina 1, 6, 14, 22 Tullo ad-

dicta esse, carmina 5, 10, 13, 20 Gallo, non casu ut videtur Tullo opposito, si consideraveris vere discordiam in fine libri primi exortam fuisse ut carmina II. 2 et 3 testantur, non dubitabis spero in Lachmanni partem discedere. His de Knauthii quoque opinione qui de itinere suscipiendo carmen primum interpretatur actum esse puto; vv. 5, 6 et extremi quattuor eam propellunt et totus liber primus unum annum complecteretur.

Non igitur frustra Cynthiae servitium Lycinnae amori praetulit, brevi postquam illam amare coeperat gaudendi copia ei facta est. Mox tamen intellexit formam puellae praestantiorem esse moribus. Vestitus quaesitas illecebras, sincero amori fatales, aegre tulit, tum paululum ut videtur lapsus iram dominae experiri coepit, Gallum rivalem magnis terroribus fortasse vero maioribus terrere studet, Tullo et Pontico ardentem quidem non tamen prorsus felicem amorem suum profitetur, Cynthiam se invito iter parantem increpat in fide sua candide manentem puellam summis laudibus effert, lapsos esse amore Ponticum Gallumque gaudet paululum eos irridet, Cynthiam Bais morantem monet ne peccet, quod illa aegre tulisse videtur, prorsus enim Amoris favore ex eo tempore destituitur, alii rivales praeferuntur a puella. In solis carminibus 14 et 19 vestigia quaedam pristinae concordiae deprehenduntur. In fine primi libri apertas inimicitias fuisse carmina I. 1 et II. 2 et 3 spondent. Brevius duobus annis ab urbe condita 724 et 725 tempus primum librum complecti non puto. Anno 726 primum carmen brevi ante editionem, anno fere post reliqua carmina, exaratum est, de aliorum carminum temporibus nihil constat, non mihi persuasit Hauptius qui dicit (op. II. p. 103): 'sed decimum illud carmen posterius est quam tertium decimum, hoc enim ad recentem Galli amorem pertinet.' Verum respicit poeta in vv. 13, 14—24 ad ea quae in carmine 10 se vidisse fatetur. Annus 726 est discidii annus, quo Propertius frustra severa studia adire conatur v. II. 3, 7, quo viles quaerit, quo ad finem fere perducto amicam nondum esse reconciliatam queritur carmine primo. Primo brevi post libro edito sive gloria ex eo in utrumque effusa cf. vv. II. 7, 18, III. 20, 21 sq. IV. 2, 15 sq. sive rumor futurarum de uxoribus ducendis legum hoc effecerant concordia restituta reperitur cf. cc. II. 2 et 3.

Uno mense post editum primum librum alterum poeta scribere coepit (cf. v. II. 3, 3). Sed ne in altero aut tertio quidem libro amor felicior poetae contigit quam in primo. Aliquotiens puella poetam admisit cf. cc. III. 14 et 15 vv. 20, 23 sq. Amicitiae discidiis levioribus mutantur. Amici sunt in carmine 7, tum discidio intermisso (c. 11) in carminibus 12—15, tum Cynthia praetorem recipit, in carminibus 19 et 20 species quaedam familiaritatis deprehenditur, sed puellae nequitiae poetam quoque ut fide labatur cogunt, tum in carminibus 26—29 concordia restituta est, puella enim morbo implicata iacet, votis non periuriis opus est. Eandem concordiam non quidem prior pars posterior tamen carminis 30 spirat. In carminibus 32 et 33 amor periclitatur, praeteriit tamen hoc periculum ut carmen postremum docet. Peccasse puella non raro videtur, poeta quoque aliquotiens cf. cc. 4, 22, 23, 24. Puellae avaritiam et perfidiam, rivalium felices amores poeta carpit in cc. 5, 6, 8, 9, 16, 17, 18, 21, 24b., 25. De amoris decursu eam ob causam ex his libris nihil certi lucramur, quia ut mox apparebit non omnia carmina horum librorum ordine chronologico tradita sunt. Plurima carmina annis 727—729 scripta esse ex librorum ordine conicio. Carmina alterius libri priora 2, 3, 7, anno 727 deberi in aprico est, quamquam carmen III. 29 anno 724, carmen III. 31 anno 726 discidii tempore, carmen III. 10 eodem tempore quo carmen IV. 4 anno 729 exeunte scripta esse videbuntur. Carmen primum alterius libri summa cum cura et arte elaboratum vereor ne tempore primum non sit iudicandum, amorem enim paululum turbatum vv. 48, 65, 78 produnt. Carmina 2 et 3 brevi post redintegratam amicitiam scripta sunt, carmen 7 anno 727, tum carminis 28 partes tres carmini 9 praemitto, item carmen 20 septem mensibus post editum primum librum scriptum est anno 727. Carmen 10 anno 729 exeunte composuit, iratus neglectusque se alia canturum esse minatur. Carmen 11 anno 728 ineunti attribuo, perfidam puellam frustra saepius revocatam dimittit. Huic discidio eodem iure carmina 12 et 13 submitto quo primo discidio carmina II. 2 et 3. Iterum frustra servitio collum subtrahere se ausum esse, ab Amore se denuo subactum atque ad amicam reductum

esse carmine 12 poeta non obscure fatetur. Carmina 13, 14, 15 recto fortasse ordine secuntur. De carminibus 16—19, 21—28 quo tempore scripta sint non constat. Carmen 32 anno 728 medio vel extremo potuit scribi. Mense sextili hoc carmen scriptum esse Hertzbergius e versu 10 conlegit. Carmen 34 anno aut 728 exeunte aut 729 ineunte scriptum esse vv. 91 sq. quibus Gallus 'modo mortuus' dicitur et verba Donati testantur qui haec dicit (Reiff. Suet. rel. p. 61): 'Aeneidos vixdum coeptae tanta extitit fama ut S. Propertius non dubitaverit sic praedicare:

'cedite Romani scriptores, cedite Grai,
nescio quid maius nascitur Iliade',

Augustus vero, nam forte expeditione Cantabrica aberat.... efflagitaret ut sibi de Aeneide..... vel prima carminis hypographa vel quodlibet colon mitteret cui tamen multo post perfectaque demum materia tres omnino libros recitavit secundum quartum sextum'. Hoc vero carmen extremum ut ex versibus extremis 85—94 iure conicitur tertii libri finis futurus erat, nimirum postquam absolvisset et emendasset quae limanda castiganda circumcidenda relicta erant. Longe plurima igitur alterius tertiique libri carmina annis 727—729 (ineunte) comprehenduntur.

In quarti libri initio tumultus non apparent, quamquam non plane serenum est caelum, cf. vv. 5, 2; 6, 38; c. 8. Carmine 13 nubes congregari incipiunt, dominae avaritiam fastumque pudicum carminibus 13 et 14 perstringit, carmine 15 indutiae factae sunt, quas carmine 16 pax quaedam secuta est, a carmine 17 vero amicitia rapido cursu tabescit, amorem infelicissimum ut discutiat poeta omnibus viribus nititur, denuo ab Amore miserrime torretur in carmine 20, denuo impugnat turpem amorem, denique omnem spem quae remanserat (vv. 23, 12 sqq.) dimisit perfidumque perniciosumque deum fugavit, puellam abdicavit. In hoc libro non solum amori sed etiam amicis celebrandis Maecenati Postumo Paeto Tullo operam dedit. Hic liber annos 729—732 complectitur. Carmina 4 et 5 anno 729 exeunte ante expeditiones in Arabiam et Aethiopiam susceptas scripta esse videntur. De terrae motu in v. 5, 33 commemorato doleo quod nihil comperire potui; de solis atrati in v. 5, 34 adiuncti anno astronomi fortasse aliquando nos certiores facient. Carmen 12 fortasse recte anno 732 adsig-

natur. Carmen 14 videtur scriptum esse non multo post Laconicum gymnasium anno 729 ab Agrippa aedificatum teste Dione qui c. 53, 27 haec dicit: .... *τοῦτό δὲ τὸ πυριατήριον τὸ Λακωνικὸν κατεσκεύασεν. Λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον ἐπειδήπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθαί τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ καὶ λίπα ἀσκεῖν μάλιστα ἐδόκουν ἐπεκάλεσεν.* Anno 730 igitur carmina 14 et 15 de quo supra disserui scripta esse videntur. Carmen 18 anno 731 exeunte compositum est, quo anno Marcellus obiit teste Cassio Dione c. 53, 33. Carmen 21 aliquanto ante Vergilii iter Athenas anno 735 institutum scriptum est, fortasse carmina 21 et 22 anno 732 composita sunt. Anno 734 Cyziceni libertate privati sunt, tum eos increpare poeta non omisisset quod cives Romanos occidissent ac libertate indigni visi essent (cf. Dio c. 54, 7). Finem libri eidem anno 732 attribuo, ita ut totus liber quartus complectatur annum 729 exeuntem, annos 730, 731, anni 732 partem si non maiorem tamen aliquam priorem. Anno 732 exeunte poeta hunc librum edere potuit, ut certe hunc librum ipse edidit, absolutis quae absolvenda et perpolienda erant.

Sed frustra surdum Iovem deseruit (vv. IV. 24, 19 sq.), frustra in Mentis Bonae sacraria se donavit, frustra ipse se lacrimas puellae non morari simulavit (v. IV. 25, 5). Tenacissimum amorem tot perfidiis iniuriis discidiis maiorem ne morte quidem perfidae puellae extinctum esse carmina quinti libri 7 et 8 testantur. Quintum quoque carmen quo lenam omnium causam in amore malorum execrat, primae quoque elegiae pars posterior idem docent. Quin etiam nisi prorsus fallor novum vinculum firmissimum amor amborum suscepit, suspicor Cynthiam a poeta rite uxorem ductam esse brevi ante puellae mortem. Primum quidem iam in carmine IV. 20ᵇ recte ab antecedentibus decem versibus seiuncto de matrimonio ineundo agi mihi videbatur, nec absurde, si quidem coniunx iam carminis 32 tertii libri tempore mortuus fuisse videtur, rumor vero occisi coniugis poterat carminis IV. 20ᵇ tempore nusquam amplius apparere et tempus lugendi legitimum transactum esse. Initio enim amoris non recte Hertzbergius hoc carmen ascripsit. Ut taceam de metricis rationibus et quod in quarto libro hoc carmen reperitur, a verbis 'in amore novo' in versu 16 mehercle

religiosissime cavendum erat, ne alius amor antecessisse videretur, tum vv. 21 sqq. tam suspiciosam mentem ostendunt qualem poeta primo amore a Cynthia benigne recepto nec habuit nec si habuisset uno verbo ostendisset, sola gaudia sua grato animo descripsisset. Haec contra Eschenburgium quoque dicta esse velim, qui hoc carmen de prima post discidium nocte poetae data a Cynthia interpretatur lib. misc. p. 96. De matrimonio legitimo hoc carmen interpretor (cf. Dilth. de Call. Cyd. p. 98). Ergo poeta aut ut Cynthiam terreat sibique reconciliet minatur se aliam puellam amaturum eamque matrimonii firmo vinculo sibi iuncturum esse, quod si consilium in hoc carmine scribendo secutus esset cavendum fuisset ne in v. IV. 25, 3

'quinque tibi potui servire fideliter annos'

aperte impudenterque omnium ante oculos mentiri videretur, (aut carmen 20^b^ non edendum, aut meras minas fuisse clarius indicandum fuisset) aut Cynthia ne coniugis auctoritate contra rumores careret consensit poetae nubere, tum poeta de primo toro in sua domo futuro, et de novo amore nunquam abituro loqui potuisse mihi quidem videtur et 'domina' in v. 29 interpretabimur 'semper dominam aliquam amet, nunquam fenestra eius illi pateat'. In hoc consilio Cynthia tamen non perstitit; in carmine IV. 23 seiuncti habitant, non longo tempore post poeta perfidam puellam dimisit. Nec tamen eo minus legitimo matrimonio eos postea per aliquod tempus coniunctos vixisse carminibus V. 7 et 8 effici mihi videtur. Primum verba 'lecti frigida regna mei' familiarem amantium consuetudinem ostendunt. Deinde si vv. 21 sq.

'foederis heu taciti cuius fallacia verba
non audituri diripuere noti',

tantum modo sunt periphrasis eorum quae antecedunt, transitumque parant ad ea quae secuntur, 'at' in versu 23 ferri non potest, aut 'nam' aut nullam particulam expectaremus. Recte Luetiohannes (comm. Prop. p. 41) in hoc vocabulo offendit, frustra Voigtius (de quarto Pr. libro p. 86 sqq.) nubem alienorum versuum congregavit. Defendi potest et teneri particula 'at' si vv. 21 sq. novum addunt, nimirum matrimonium brevi

ante iunctum. Tum Lygdamus servaeque me offenderunt. Lygdamus servus est Cynthiae in carmine IV. 6, idem servus Propertii esse videtur (v. V. 8, 37), in domo Propertiana enim convivium est, idem Cynthiae velut dominae iram metuens (v. 8, 68) ad plutei fulcra sinistra latet (vv. 79 sq.), verum Propertius quasi ei quoque in servum imperium iuraque sint iubetur servum vendere, respondet poeta 'legibus utar' summo cum puellae gaudio. Iam vero Lygdamus servus Cynthiam interfecisse vv. 7, 35 sq. arguitur. Si dominam interfecit vv. 73 sqq. rectius puella Propertium implorasset ut curaret ne innocentes servae una cum servo dominae interfectore et ipsae crucibus affigerentur cf. Tac. ann. XIV. 42. Testamenti enim manumissio hic nihil certe valuisset. Lygdamus vero quando in Propertii potestatem transierit nusquam reperitur. Deinde cur non ipsa si servas testamento manumisit ut de Parthenie et Latride interpretes opinantur, cur non ipsa easdem eodem testamento ex parte rerum heredes fecit, ne aut fame perirent aut denuo servitutem subire cogerentur? Cave dixeris eam opibus caruisse, servas habuit et alias quoque res familiares eam antea quidem possedisse non tenues omnia clamant, ergo quod hoc carmine subito pauper facta esse videtur, ut sane videtur, nova mira est res; quo opes abierunt, cur tam flebiles exequias nacta est? Respondendum erit res puellae in alius hominis potestatem fuisse translatas, nimirum coniugis. Praeterea vv. 41—46 poterunt quidem si acerrime verba torquebis de Propertii servis intellegi, probabilis vero per se haec interpretatio non est, multo rectius de Cynthiae servis intellegentur in poetae quoque potestate conlocatis ac nova ab eo domina recepta ab utroque vexatis. Deinde v. 82 sequentis carminis praebet:

'riserat imperio facta superba dato'.

Antea ubi nondum matrimonium ambo inierant, nulla in tali re ridendi aut superbiendi causa fuisset, hic unus poetae timor fuit ne invitus dimitteretur, nedum ipse volens servitio collum subtrahere potuisset aut ausus esset. E versu 34 hoc quidem efficitur eum ante illum diem per aliquod tempus furtivis amoribus operam non dedisse, sed Cynthiae amore velut legitimo et aliquo modo constanti usum esse; quod confirmatur v. 83

quo Phyllis Teiaque externae puellae vocantur. Denique quae Cynthia agit in Propertii domo agit quasi in sua domo sit, puellas Lygdamum verberibus caedit ipsum poetam totamque domum expiat, cur nisi suetum domicilium ei erat? Probo qua idem evincitur Heinsii in postremo versu coniecturam pro 'toto' 'noto' scribi iubentis, atque ut ex eodem versu aliud vitium eliminare coner conicio pro tradito 'respondi' scribendum esse 'despuit' (vel 'expuit') de qua excantandi ratione conferas velim vv. Tib. I. 2 54 96 3 16 Petron. c. 131, Weidnerum ad Iuv. v. VII. 112. Ergo fortasse recte suspicatus sum Cynthiam per postremam vitae partem matrimonio poetae iunctam fuisse.

Ipsae Cynthiae mors et sepultura perobscurae sunt, videtur subito obiise, hoc ex vv. 7, 35 sqq. elicio. Propertius eodem tempore alius puellae captus blanditiis languebat. Quod cum non ignotum esset rumor fortasse non plane vanus circumferebatur a servis Cynthiam occisam esse non invito Propertio, quem rumorem foedae exequiae certe non extinxerunt, quamquam poeta aut ipsam se interfecisse aut uxorem impudicam mulierem fuisse profiteri poterat. Ut speciem propriae culpae averteret poeta de culpa servae inquisivit, iudices enim durius accusatam vexassent, culpa abesse videbatur. Turpi funere Cynthia elata est nec immerita hercle, quae totiens fidem ruperat tum ipsa deserta iacebat; quam lena quinti carminis eandem fere sepulturam nacta est. Combusta et sepulta esse supra videbatur prope Romam. Mox Propertio Cynthiae amor pristinus, revertit, vidit novae dominae meretricis perfidiam infamiamque aliquanto maiorem esse quam Cynthiae fuerat. Dolor fato ereptae ac paenitentia in morte impie desertae puellae eum corripuerunt. Ut suam iniuriam extingueret et Cynthiae dignum monumentum poneret carmen septimum scripsit pulcherrimum. Ipse se poeta accusavit, puellam laudavit. Utrum Lygdamus et Nomas poenas dederint an antea ex urbe aut e vita decesserint, an hoc carmen compluribus annis postquam scriptum esset una cum toto libro publici iuris factum sit diiudicari nequit. Carmen octavum narratiunculam continet qua poeta cotidianam quam cum uxore agebat vitam illustravit, non ut eam increparet sed ut iocose ostenderet. Cyn-

thiam non quidem prorsus sinceram, caram tamen amatamque suam uxorem fuisse; mulier peccat vel peccare videtur, coniunx quoque peccat, subito uxor furibunda apparet etc. Omnia haec satis iocose descripta sunt. Filium vel filiam Cynthia poetae non peperit, alioquin hunc quoque mortua superstiti coniugi in carmine 7 commendasset. Mortua est circa annum 734 vel 735. Dicit enim Ovidius vv. Trist. IV. 10, 45 sq.

'saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
iure sodalicio qui mihi iunctus erat.'

Quia Ovidius Vergilium et Tibullum ut brevi ante dixit vidit tantum, hos ignes Propertius recitavit tempore quinti libri, non ante annum 735. Hi ignes non videntur esse amor Cynthiae uxoris sed aliarum puellarum quos amore persecutus est Cynthia mortua. Huius enim quamdiu viva fuit atque post mortem quoque per aliquod tempus Propertii amor erat totus quamquam nescio quo modo sub ipsum uxoris vitae finem aliam deperire potuerit, quibus illecebris Doris eum ceperit (v. V. 7. 72) vel Chloris. Certe vocabulum 'saepe' cum his externis amoribus a Propertio uxore viva cultis non convenit. Vinum aut rosae blanditias ne postea quidem a poeta spreta esse carminis V. 6 finis testatur (cf. etiam v. IV. 5, 21, c. IV. 17). Quintum librum carmina diversissimorum temporum continere et ab amicis post mortem poetae editum esse sine ullo iure viri docti ad hunc diem plurimi opinati sunt. Hic liber non minus absolutus et castigatus apparet quam liber primus et quartus. Carminum ordo ut in primo libro artificis curam sapit quam rem Buechelero duce enucleatam esse gaudeo. Sepone primam elegiam, exordium totius libri, et horoscopus falsae rerum futurarum scientiae gloriosus venditor oppositus esse videbitur Corneliae vera sua merita omnibus nota prodenti praeterita. Vertumno respondet Iuppiter Feretrius, utriusque dei nomen a poeta explicatur. Arethusa coniugis de frigido amore queritur, Hercules respondet mulierum duros animos increpans. Quarto carmine et octavo Tarpeia et Cynthia inter se opponuntur, utraque est perfida mulier, utraque tamen in carmine suo lectori non prorsus odiosa, illa tragicam haec comicam quandam personam induta. Restant lena et Cynthia, utraque mortua, utraque

flebili et turpi ratione sepulta est, illa merita haec non merita (ut poetae quidem carminis tempore videbatur) illam mortuam detestatur poeta hanc pulcherrimo carmine laudat celebratque. Mediam totius libri sedem Apollo occupat Palatinus eiusque Romae regni procurator Augustus. Moneo etiam non solum Corneliam horoscopo respondere, sed eandem etiam Cynthiae mortuae, utraque enim e sepulcro extitit fidei suae praeco disertissima, nec lena Cynthiae solum respondet sed etiam horoscopo, uterque poetae inimicus erat, utrumque poeta ulciscitur, illam detestatur, hunc irridet. Nec tempora huius libri in diversas partes discedunt. Qui cum Lachmanno et Hertzbergio diversissimis haec carmina temporibus scripta esse, qui poetam ante Cynthiae amorem cecinisse sacra diesque aut canere in animo habuisse iudicant valde errant. Quod Propertius profitetur se ab Apolline a severioribus studiis revocatum esse vv. V. 1, 135 sqq. vel somniat se Ennii exemplum secutum annales componere atque a Phoebo et Calliope vetari his rebus diem terere, haec non ipsius sunt, sed Callimachi *αἰτίων* prooemium imitatus est cf. Schneideri Callim. II. p. 36 et 114sqq. Haec et quae sunt similia tantidem aestimanda sunt quanti quae Ovidius iocose de se dicit vv. Am. II. 1, 11—22. Nusquam Propertius dicit se severa cecinisse sed se canere voluisse. Levissime Hertzbergius Nobbii argumentum refutavit. Rectissime Nobbius pentametrorum exitus rarissime non disyllabos esse in quinto libro vidit atque ex hac re conlegit quintum librum a Propertio post reliquos omnes scriptum esse. Nihili sunt quae Hertzbergius Paldamum secutus pronuntiavit de differentia quae intercederet inter maestum et flebile dicendi genus et sedatas narrationes. Nullo prorsus testimonio nituntur quae Teuffelius dixit in litterarum Romanarum historia de Propertio § 246 et 2: 'In seinen letzten Lebensjahren kam Prop. auf einen Plan seiner Jugend zurück, einheimische Gegenstände in der Form der Elegie zu behandeln etwa in der Art von Ovids Fasti' et 2.... früher Beginn mit Gedichten in der Weise des Callimachus aber mit römischen Stoffen, s. V. 1, 133 f. vgl. 59 ff. et 3... das fünfte (Buch) auch Unfertiges und jugendliche Versuche aus dem Nachlasse des Dichters'. Horum nihil verum est.

Heimreichius sane et Caruttius quintum librum Propertio abiudicaverunt, sed nemini persuaserunt. Metricis rationibus chronologicisque hunc Propertii librum extremum esse Eschenburgius demonstravit lib. misc. p. 83 sqq., adde quae dixi p. 27 sq. Transeo ad singula carmina. De primi carminis parte posteriore nihil certi constat. Veri simile est certum aliquem horoscopum poetae inimicum carpi atque quod in carminum ordine Cornelia quodam modo et lena horoscopo respondent colligere possis hominem non vivum sed mortuum vexari. Carmen tertium fortasse ante signa Crassi a Phraate anno 734 Augusto reddita scriptum est ac cum diutius Lycotes ille domo abesse videatur contra Parthos stipendia merens, nihil obstat, quominus illi ipsi anno 734 ineunti (cf. v. 42) hoc carmen tribuamus. Arethusam et Lycoten Aeliam et Postumum carminis IV. 12 esse Hertzbergius quidem negavit, levioribus tamen argumentis nixus, nomina eum non offendent, qui sub Demophoonte in carmine III. 22 Tuscum latere concedet. Nihil tamen certi pronuntiari potest. Carmen sextum anno 737 vel 738 scriptum esse omnes concedunt. Fortasse recte Barthius coniecit poetam hoc carmen brevi ante vel post ludos quinquennales in memoriam Actiacae victoriae ab Augusto institutos et anno 737 celebratos composuisse, eodem fere tempore quo Augustus ad Sycambros subigendos ex urbe proficisci constituit. Poetae de aeterno Romanorum imperio non dubitanti gloriosum de Sycambris servituris in v. 77 vaticinium condonabimus, praesertim cum coniunctivo utatur. Carmen septimum anno 735 fere brevi post Cynthiae mortem scriptum est. Carmen octavum aliquanto ante scriptum est anno 734 fere, versus 1 hoc spondet et post carmen septimum severiorem adversus Lygdamum animum ostentasset, quam qui in carmine octavo deprehenditur, cf. v. 70. Carmen undecimum anno 738 scriptum est quo anno frater Corneliae Publius Cornelius Scipio consul fuit teste Dione c. 54, 19. Cornelia mortua est antequam frater consul designatus erat cf. vv. 65 sq. anno igitur 737 exeunte et brevi post, anno 738 ineunte poeta hoc carmen scripsisse videtur ut coniugem superstitem L. Aemilium Paullum consolaretur. Haec non prorsus eo evertuntur quod Buechelerus in scholis et post

eum Huebnerus in Commentationibus Mommsenianis p. 111 vv. 65 sq. spurios esse recte iudicaverunt, veri simile enim est eum qui hos versus inseruit quae dicit non ipsum audacter excogitasse sed cum ex ipso poeta conligere non potuerit aliunde comperta habuisse. Exordium libri carmen 1, 1—70 non quidem postremum est omnium carminum, non enim totus liber in rebus Romanis celebrandis versatur cf. vv. 57 et 69, sed eodem fere tempore scriptum est quo carmina 2 et 4, ante carmen I, 71—150 (cf. vv. 65 sq. 125 sq.) Carmen IV. 1 quoque propter versus extremos multo ante carmina 24 et 25 scriptum est. Nimirum cum primo libro gloriam sibi parasset amplissimam audaciorem et confidentiorem animum ostendit, non expectavit donec elegias quot novo libro sufficerent composuisset, sed inter prima carmina exordium novi libri aliquanto post edendi elaboravit. Quintus igitur liber annos 733—738 sibi poscit. Ipso anno 738 vel brevi post quintum librum edidit, tum defessa musa ab elegiis scribendis destitisse videtur, certe nullum carmen habemus quod anno 738 posteriorem sibi poscat.

Ergo Propertius ut ad eum revertar sicut ne ante quidem peccatis semper abstinuit ipso tempore quo Cynthia mortua est alius puellae blanditiis irretitus iacebat Doridos vel Chloridos (cf. vv. V. 7, 39, 40, 72) vilis meretricis, quam in domum quoque suam ut concubinam puto recepit, crucem servis. Mox tamen turpis amoris poetam pertaesum est. Usque ad annum 738 poeta Romae mansit et quamquam ne post Cynthiae quidem mortem puellas sobriis frigidisve oculis vidit, tamen severiores quoque res cecinit Romam et Augustum Maecenatis patroni sine dubio non parvo cum gaudio. Fortasse levem musam prorsus dimittens postea quae in puellarum praeter Cynthiam laudem scripserat ipse ignibus dedit.

Quamquam carmen anno 738 posterius non habemus, ante annum 740 poeta non mortuus est. Ut primum et quartum librum ita quintum quoque poeta ipse absolvisse perpolivisse edidisse supra videbatur. Deinde me iudice Propertius non mortuus est antequam Ovidius Amores suos ea editione quam nunc habemus edendos absolvit. Nam qui Tibullo cuius amicus propter temporum iniquitatem esse non potuit carmine

egregio III, 9 monumentum posuit insigne, certe ne Propertii quidem defuncti, qui iure sodalicio ei iunctus erat, oblitus esset, sed ne nomen quidem Propertii in ullo Amorum libro apparet cum tamen in carmine I, 15 si mortuus fuisset praeteriri non potuisset, qui in vv. 25—32 vocantur mortui erant; sed in Propertium cecidit quod dixit v. Trist. II. 467 sqq. . . . 'praestantia candor

nomina vivorum dissimulare iubet.'

In Arte tamen Propertius commemoratur ut mortuus v. III. 333 (cf. v. 339). Ergo Propertius mortuus est inter Ovidii Amores absolutos editosve et Artem amatoriam scribi coeptam, hoc est non diu post annum 740 superstes fuit, quia post annum 738 nihil edidisse videtur. Quod Teuffelius pronuntiat de Ovidio in hist. litt. Rom. § 247.7: Unter seinen Vorgängern war ihm der liebste Tibull (vgl. Am. III. 9.) von welchem er häufig Stoffe, Gedanken, Bilder, Wendungen und Worte entlehnte. Hoc vereor ut demonstrari possit. Propertio quantum Ovidius debeat decimus fere quisque versus docet. Zingerleius dimidiam fere partem eorum versuum in quibus vestigia imitationis deprehenduntur certissima conlegit. Ut unum hoc loco addam certum est 'delapis' scribendum esse in v. IV. 13, 58 cf. Ovid. v. ep. ex Ponto III. 1, 52.

Potuit Propertius post quintum librum editum musam dimittere, Roma decedere Asisiumque in patriam suam reverti ibique ut Hertzbergius coniecit p. 46 suos Lares ponere uxoremque denuo ducere filiumque tollere avum vel proavum Passenni Paulli Plinii amici Asisinatis. Quibus si quamvis incertissima sint adsentiris Asisii mortuum sepultumque poetam esse inter annos 740—745 fere dices. Iuvenili aetate mortuus est ut Catullus Tibullusque, solus Ovidius ex his poetis elegiacis Veneris servitio turpi amore non fractus (Prop. v. IV. 21, 33) decem lustra superavit. —

Restat ut de librorum ordine quae mihi videor repperisse proponam. Quattuor carminum libri traditi sunt. Lachmannus primus alterum librum in duos libros diremit; a carmine 10 novum librum incipere iussit, itaque e quattuor qui ante fuerunt quinque carminum Propertii libros effecit in editione anno 1816 Lipsiae prolata. Omnes fere editores Lachmanno adstipulati

sunt. Servaverunt pristinum librorum ordinem Paldamus Hertzbergius Baehrensius; oblocuti sunt praeterea Nobbius in libro quem inscripsit 'Observationum in Propertii carmina specimen' anno post Lachmanni editionem Lipsiae emisso, Voigtius in dissertatione quae Helsingforsiae anno 1872 prodiit, Postgatius in libro quem vocavit 'Select elegies of Propertius' (London 1881). Lachmannus suam de altero libro dirimendo sententiam hisce rationibus et argumentis defendit p. 20 et sqq. in praefatione. Dicit primum carmina Propertii nostro tempore non integra sed sui parte truncata legi. Hoc probat testimonio Fulgentii qui sub vocabulo 'dividia' hunc versum habet:

'dividias mentis conficit omnis amor.'

quem versum libri nostri Propertii nusquam agnoscunt. Idem auctor e Propertio ut dicit affert sub voce catillare versum:

'catillata geris vadimonia publicum prostibulum.'

Praeterea Servius habet ad Verg. Ecl. V. 21 Propertii ut dicit verba 'testes sunt sidera nobis'; idem grammaticus ad v. Georg. I. 19 'uncique puer monstrator aratri' adnotat: 'alii Triptolemum alii Osirim volunt quod magis verum est ut dicit Propertius vel Tibullus.' Non omnia a Propertio relicta superesse etiam Ovidii verbis probari Lachmannus putat qui vv. Trist. II. 465 sq. dicat:

'invenies eadem blandi praecepta Properti,
districtus minima nec tamen ille nota est.'

Alter igitur e quinque libris Lachmanno non totus integerve superesse videtur. Alterum argumentum ille e vv. III. 13, 25 sq. petit:

'sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli
quos ego Persephonae maxima dona feram.'

Hos versus necessario in tertio libro fuisse iudicat. Tertium argumentum hoc est: 'Versus quibus incipit carmen decimum alibi quam in capite libri Augusto dedicati poni non potuerunt.' Primum tertiumque argumentum feliciter impugnaverunt Nobbius Hertzbergius Voigtius alii. Nam de fide Fulgentii una vox hodie est post Lerschii librum Bonnae anno 1845 prolatum, nihili sunt istius hominis testimonia. Servius bis aperte erravit, quod ne Lachmannum quidem plane fugit. De Ovidii testimonio iis quae Voigtius l. c. p. 4 attulit adde quae ipse p. 50 sq. dixi; cf. vv. Prop. IV. 3, 49 sq.

'ut per te clausas sciat excantare puellas,
qui volet austeros arte ferire viros.'

Ergo quamquam non omnia quae Propertius scripsit habemus, tamen eorum quae Romae edidit, plura periisse demonstrari non potest. Tertium Lachmanni argumentum prorsus nihili est, non celebrasse Augustum sed ludibrio habuisse poeta visus esset, si libro penitus in amoribus demerso carmen praemisisset quo Augustum se iam celebraturum esse pollicetur. Ac quale hoc carmen est! Si simile esset eis quibus Maecenatem celebrat vel quo poeta Augustum celebrat c. V. 6 condonarem fortasse, sed hocine carmine Augustum celebrare potuit quod initio caret, in quo unusquisque fere versus docet quam firmis catenis ab Amore teneatur, quam aegre quam invitus a puella sua (v. 8) scribenda abscedat? Quattuor versibus Augustum celebrat; vv. 17 sq. in grandi carmine ubi diutius Augustum laudasset non reprehenderem, in hoc carmine versibus 17 sq. Augustum valere iubet non vero Amorem ut Lachmannus l. c. p. 27 voluit adstipulante Eschenburgio lib. misc. p. 94. Restat alterum argumentum e versu III. 13, 25 petitum quo recte Lachmannus suam sententiam defendisse mihi quidem videtur. Gaudeo quod Magnus quoque genuinam illius versus interpretationem cum Lachmanno mordicus tenet (Philolog. Wochenschrift 1882, 36 p. 1124 sq.) De tribus libellis Voigtius egit l. c. p. 9 sqq. Tribus libellis hic cum Nobbio (l. c. p. 43 sq. cf. Hertzb. qu. Pr. p. 214 sq.) pauca carmina intellegit. Libellus ut Voigtius quidem affirmat, apud Propertium nusquam idem est ac liber ergo ex Propertiana consuetudine tres libelli non facile possunt esse aliud ac tria carmina. Sed primum plane non intellego cur non in v. III. 25, 3

'ista meis fiet notissima forma libellis'

libelli idem significare possint quod libri. Deinde nonne miraris vv. IV. 2, 15 sq.

'fortunata meo si qua est celebrata libello,
carmina erunt formae tot monumenta tuae'.

si libellus idem est quod carmen? Quia carmina secunter in posteriore versu in priore libellus nihil aliud potest esse quam

liber, quam certus numerus carminum uno volumine coniunctorum. In versu I. 9, 13

'I quaeso et tristes istos compone libellos',

cur de poematis epicis, cur non de una Thebaide per complures fasciculos distributa cogitandum sit nescio. Nec quisquam intelleget cur libelli in Ovidii versu Trist. IV. 1, 1

'Si qua meis fuerint ut erunt vitiosa libellis,
excusata suo tempore lector habe'.

non possint esse idem quod libri, praesertim in initio novi libri; conferas velim vv. Trist. I. 1, 1:

'Parve nec invideo sine me liber ibis in urbem'.
II. 1 'Quid mihi vobiscum est infelix cura libelli'?
III. 1, 1 'Missus in hanc venio timide liber exulis urbem'.
V. 1, 1 'Hunc quoque de Getico nostri studiose libellum
litore praemissis quattuor adde meis'.

Quis dubitabit quin in his versibus libellus et liber plane idem valeant et inter se respondeant et promiscue adhibeantur? Reliqui vero quos Voigtius commemorat loci ex epistulis desumpti sunt. Iam vero si epistulam amico mitto sive unum sive complura folia continentem, libellus pro carmine adhiberi potest dummodo in epistula non plus unum carmen scriptum sit, carmina vero uno eodemque libro edita totidem libellos dici potuisse Voigtio demonstrandum erat. Unum folium una scheda potest libellus dici non tamen duo folia coniuncta duos libellos efficiunt. Verum non est in Propertii carminibus libellum nusquam esse idem quod librum nec in Catulli aut Ovidii desunt loci ubi libellus nihil aliud esse possit quam liber. Sed mehercle nemo puto qui carmen III. 13 legit, qui nescit quo usu v. 25 inde a Lachmanno habitus sit non intelleget tres elegiarum libros. Hoc enim carmine poeta testamentum suum quodam modo scripsit atque cardines huius testamenti sunt vv. 25 sq. et 35 sq. Hoc dicit poeta: 'ab exequiis omnis nobilitatis divitiarumque splendor absit, alii his rebus gaudeant, ego maiorem pompam praefero maiora dona Proserpinae offero, tres carminum libros in Amoris servitio, in laudem Amoris scriptos, vitae laborem, ingenuae artis fructum. Haec sit pompa in funere, post funus tamen titulus lapidi incisus idem quod in

funere libri unius me quondam servum Amoris fuisse testetur'. Num ille unicam pompam qua unusquisque cernere posset, quantus et qualis vir fuisset, quantopere unius Amoris servus fuisset, hunc solum semper indefessa arte celebrasset, num ille maxima dona Proserpinae offerenda quibus prae ceteris omnibus praecelleret, tres quaslibet chartas, tria vel pauca quaelibet carmina e schedis suis eripienda esse voluit? Cur si carmina intellegi voluit non dixit velut: ...'tria si sint carmina pompa', an papyrum vel chartas ea quae elegias continerent voluit pompam esse non ipsas elegias ipsos versus? Num pompam quam poeta cupivit carmina effecissent in quibus de rebus ab amore prorsus alienis agebatur, aut de amore infelicissimo vel de aliorum amore? Certe non multa carmina reperies quorum tria vel ut Voigtio placet pauca spectatores et Proserpinam doceant quantus hic in amore poeta fuerit, hoc ut cognoscas omnia quae Propertius scripsit inspicienda sunt. Tribus carminibus non plus apparuisset quam poetam efferri mortuum. Sicut imperatorem gloriae insignia, tabulae victarum urbium, propriae virtutis praeclara signa, non sola imaginum longa series in funere consequebantur, ita omnia carmina quicquid scripsit laude dignum poetam qui sola gloria a se ipso parta gaudet sequi decet, non tres quoslibet libellos e triviis vel e tabernis conlectos. Conferri potest Horatii carmen III. 30: 'Exegi monumentum aere perennius' etc. Tres libelli sunt Propertii pompa et monumentum aere perennius, num vero tria carmina qualiacunque et quantulacunque sunt, Romano Callimacho sufficiunt? Ergo me iudice recte tres elegiarum libros intellegimus nec scripsisset 'tres libelli' nisi iam tertium librum scribere coepisset, non recte Paldamus in editionis praefatione p. 24 in altero libro scribendo occupatum poetam haec scribere potuisse opinatur, poterat tamen in tertio libro scribendo occupatus esse altero libro nondum absoluto aut edito. Confirmari videtur Lachmanni argumentum alia re. Aut prorsus fallor aut carmine 11 finis alterius libri servatus est. Carminibus 5 et 6 poeta incipit puellae irasci, ira crescit in carminibus 8 et 9, tandem cum videat frustra omnia temptari, Cynthiam non moveri, dimittit perfidam puellam. In carminibus 12—15 amor ardentissimus felicissimus revertisse iudicandus

est. Carmen undecimum simillimum est extremis quarti libri carminibus, duodecimum vero simile carminibus II. 2 et 3 ita ut putem carmine 11 alterum librum finire carmine 12 novum librum incipere poetam voluisse. Ergo alterius libri divisioni alio tamen loco quam Lachmannus voluit instituendae complura favent. Tribus tamen argumentis feliciter impugnatur. Primum libri manuscripti hanc divisionem nunquam agnoverunt, quamquam ne primus quidem liber in codicibus ab altero secernitur (in libro Groningano a secunda manu). Deinde Nonius p. 169 sub voce secundare v. IV. 21, 14:

'iam liquidum nautis aura secundat iter',

tertio libro attribuit, quamquam Nonio ut multas hanc quoque neglegentiam condonaremus. Non tamen probo argutias quas de duabus editionibus Propertii protulit Birtius (d. antike Buchwesen p. 423 et in novissimo Musei Rhenani volumine p. 198—221). Denique repugnat v. III. 24, 1:

'tu loqueris cum sis iam noto fabula libro',

hic liber est liber primus, ergo alter liber nondum editus erat, quod Lachmannus concedit dicens alterum tertiumque librum una editos esse. Unumquodque argumentum per se solum inexuperabile impedimentum non est, tria vero argumenta coniuncta conspirantia non temere reiecerim. Iterum atque iterum hanc de librorum ordine quaestionem instituenti retractanti hac sola ratione omnia quae de altero tertioque libro constant explicari et conciliari inter se mihi posse videntur ut dicamus, poetam hos libros nunquam edidisse nec edendos absolvisse, poetam edidisse primum quartum quintum librum, reliqua ab amicis post mortem poetae in schedis eius reperta atque sicut erant reperta nec minuta nec aucta edita esse, plurima carmina non absoluta sed qualia poeta reliquerat non elaborata carminum rudimenta lineamenta fragmenta. Poeta in animo habuit carmine 11 alterum librum cuius posteriora carmina inde a sexto omnia augenda expolienda absolvenda erant finire, carmine 12 novum librum incipere cuius paucissima carmina absolvit quem totum ipse nec absolvit nec edidit, sed amici quae edita non erant uno libro ediderunt. Consideremus iterum vv. IV. 2, 15 sq.

'fortunata meo si qua est celebrata libello
carmina erunt formae tot monumenta tuae'.

Dixi in priore versu libellum nihil aliud significare posse quam librum, elegiam intellegi sequens versus vetat, volumen carminum complures libros complectens vv. III. 13, 25 sq. vetant. Quid igitur obstat quominus hos versus de solo carminum primo libro interpretemur, quominus statuamus alterum tertiumque librum non solum in versu III. 24, 1 sed in his quoque versibus in initio quarti libri nondum editos deprehendi? Certum hoc est, quartum librum scribere coepit nullo praeter primum librum edito. Primus liber est libellus ille in v. IV. 2, 15 commemoratus, notus ille monobiblos, quo

'Cynthia facundi carmen iuvenile Properti
accepit famam nec minus ipsa dedit'.

(Mart. XIV. 189 cf. Pr. II. 7, 17 sq.); qui liber etiam postea cum omnia iam Propertii carmina quot nos habemus uno volumine coniuncta apud bibliopolas prostabant singillatim veniise recte a Muellero creditur (praef. p. 12); prae ceteris enim fortasse hic liber 'mollis in ora venit' (Prop. II. 1, 2). — Deinde quo modo potuit fieri ut tantum alterius tertiique libri carmina tam dilacerata ad nos pervenirent, cur nulla vis perniciosa primum quartum quintum librum attigit, cur hi libri cum illis comparati pulcherrime traditi sunt, cur media pars sola temporum iniquitatem non sustinuit? Quia nunquam melior fuit. Cur nusquam ipsa disticha dissecta ex parte corrosa reperiuntur, cur nusquam pentameter hexametro vel hic illi deest? Cur disticha cur versus cur enuntiata nusquam non integra reperiuntur? Quantula vero carminum fragmenta ad nos pervenerint nefas est dicere. Duo hi libri grammaticis horreum fuerunt ubi durae asperae inelegantis versuum enuntiatorum verborum iuncturae exempla uberrima unicuique quandocunque liberet depromenda iacebant. Quae viri docti Voigtius praecipue (l. c. p. 5 sqq.) de subitaneis cogitationum consiliorum affectuum vicissitudinibus fabulati sunt, vellem ex reliquis libris comprobassent, qualemcunque de plebe hominem non poetam illa decent. Paucissima integra carmina repperi. Ut ea proferam quae mihi adnotavi, vv. 3, 45—54 a carmine

4 non minus quam a carmine 3 alieni seorsum ponendi sunt. Sexti carminis frustula quam male cohaereant nemo non videt. In carmine octavo vv. 6—11 rudem versificationem sapiunt, tum secernendi sunt vv. 13 sq., 15 sq., 17—24, 25—28, 29—40, haec fragmenta sunt. Non minus lacerum est sequens carmen quamquam nihil periit. Rectius Hauptius quam Vahlenius hoc carmen edidit. Carmen 10 iusto initio caret, quamquam particula 'sed' Lachmannus novum librum incipere iussit, iustum tamen finem hoc carmen habet vv. 19 sq., reliqui versus secernendi sunt. Carmina 11 et 22ᵇ ut alia plurima carmina poeta ante editionem auxisset. Carmina 13 et 18 alii recte diremerunt. Nec minus recte in carminibus 24 et 26 et 28 complures partes sui iuris factae sunt. Sed carmen 25 quoque in duas tresve partes discedit, inde a versu 21 nova pars incipit cum priore parte consuta potius quam contexta, tum vv. 39 usque ad finem nullo modo cum antecedentibus cohaerent. De carmine 29 postea loquar, carmen 30 vero cento est, vv. 1—12, 13—18, 19—22 secernendi sunt, recte de hoc carmine Heimreichius diss. p. 18 et Eschenburgius diss. p. 37 iudicaverunt. Carmen 33 recte Hertzbergius in duas partes divisit, vv. 21 sq. legitimum finem efficiunt (cf. vv. III. 28, 61 sq. IV. 10, 31 sq.), quae secuntur poeta ante ianuam puellae a domina admitti cupiens canit. Postremum quoque carmen ut supra dixi ante editionem absolvendum atque expoliendum erat. Nusquam librarii tantum peccaverunt in carminum ordine quantum in altero libro tertioque. Iam si omnia quae non conveniunt secum carmina dirimimus, integra nova carmina hac opera non efficiuntur, fragmenta frustula efficiuntur, immo aliquotiens sola enuntiata singulis distichis expressa. Eius modi enuntiatis distichisque poeta carmina sua pangere coepisse credendus est plurima, paulatim ea auxit mutavit coniunxit, quaedam intacta reliquit, alia contraxit compressit vel eiecit vel extinxit. Tum hos libros non editos esse a Propertio carmen 29 docet. 'hesterna' traditum est in primo versu quod tenendum est, et a versu 23 novum carmen incipit id quod Eschenburgium non fugit (in diss. p. 36), quamquam, fateor, in versu octavo non 'arripite' sed 'diripite' expectaverim, cf. v. 21. Nemo tamen adhuc vidisse videtur idem carmen bis

esse servatum. In tota re enim carmina I. 3 et III. 29 consentiunt et maturo tempore hoc carmen scriptum esse pentametrorum exitus docent. Ergo poeta primum duas carminis III. 29 partes composuit, deinde unum pulcherrimum carmen 1, 3 his partibus effecit, priorem partem duobus versibus (I. 3, 9 sq.) compressit, posteriorem auxit. Num poeta primum absolutum omni arte carmen edidisse postea vero eiusdem carminis prima lineamenta quoque in publicam lucem emisisse iudicandus est? Simili ratione poeta fortasse etiam carminis 33 duas partes artificiose contexuisset antequam edidisset. Iam contemplemur carmen II. 9. Hoc carmen triplicem conclusionem habet vv. 37—40, 41—48, 49—52. Haec fragmenta eodem tempore quo prior pars carminis noni vv. 1—37 scripta esse veri simile est vel certum. Iam vero has tres conclusiones eodem carmine coniungi non potuerunt, aperte enim inter se pugnant, unaquaeque tamen conclusio si sola recipitur ferri potest. Videmus officinam artificis, carmen scribit omissa conclusione, tum conclusionem scribit, alteram scribit tertiam scribit sive unam postea electurus sive omnes conciliaturus conflaturus. Idem deprehenditur in carmine 13^{b}. Hoc carmen legitimam conclusionem habet vv. 39 sq., alteram conclusionem efficiunt vv. 41 sq., miro enim modo Cynthia cana iubetur ad bustum venire, si poeta additurus erat: caveat ne unquam poetam adspernetur sepultum. Praeterea aptissime vv. 43—58 v. 38 secuntur. Quae poeta rudi stilo paucissimis versibus scripserat uberius exposuit, novam pulchram edendo carmini conclusionem elaboravit. Idem apparet in carmine 26. Pessime enim vv. 17 sq. et 19 sq. inter se secuntur. Simulac delphinum vidit gaudendum non metuendum erat, falsissime tamen vv. 17 sq. a quibusdam abiciuntur. Superstitiosa enim timida mulier (cf. vv. IV. 8, 15; III. 29, 27) intolerabili timore excruciata non leni poetam ira persecuta esset, ergo eodem consilio quo carmini III. 24 versus 51 sq. submisit, in carmine III. 26 vv. 17 sq. scripsit. Reliquis versibus absolutis hos versus ominis avertendi causa infaustissimi inseruit, puellaeque carmen misit transcriptum vel recitavit omissis fortasse duobus versibus extremis. Finem carminis qualem nos habemus in lucem non

emisisset. In carmine II. 8 vv. 17—24 et 25—28 similia frustula esse videntur, quorum alterutrum non offendit, iuncta vero in eodem carmine dubito num ferri possint. Praeterea estne credibile poetam carmina edidisse vel editurum fuisse qualia sunt II. 3, 45—54, III. 22, 23, 24, apertae perfidiae ipsius testimonia, cuius in v. IV. 25, 3 scribendo impudenter oblitus esse videretur, numquid simile in reliquis libris deprehenditur? Nec carmen II. 7 quo Augustum irridet unquam, opinor, edidisset, dubito num carmen III. 10 editurus fuerit, fortasse non edidisset ne Maecenatem quidem laudasse Augustum tamen lusisse potius quam laudasse videretur; cur enim hoc carmen libro quarto, cum eodem tempore scriptum sit, non inseruit? Quid denique de ordine quo carmina II. 7, III. 10, 29, 31 inter se secuntur dicemus? Cur, cum de carminibus III. 10 et 29 supra egerim, carmen II. 7 alteri libro inseruit, carmen III. 31 vero, ante carmen II. 7 scriptum, tertio? Fortasse etiam metricae quaedam discrepantiae mihi favent quas Birtius ex altero tertioque libro conlegit (ad hist. hex. lat. symb. p. 28—34). Propertium in iis quibus alter tertiusque liber in re metrica a reliquis discrepent Vergilii artem secutum esse Birtius opinatus est. Cur tamen ille a Vergilio in quarto quintoque libro subito defecit suamque primi libri in re metrica artem recepit? Cur Propertius non in primo libro Vergilii Georgica quae tum iam edita erant imitanda sibi proposuit? Cur Propertius non elegantiorem sed ut ipse Birtius concedit sua ipsius minus elegantem Vergilii artem secutus est? Vereor ut recte Birtius iudicaverit. Si Propertius nec alterius nec tertii libri carmina ipse edidit nec edenda elaboravit perpolivit absolvit, non mirabimur in re metrica quoque rudiorem quam in reliquis libris artem deprehendi. Nefas est dicere quantum in altero tertioque libro Propertii inde a Scaligero usque ad hanc Baehrensii et Birtii aetatem viri docti peccaverint transpositionibus resectionibus emendationibus. Puto haec carmina post poetae mortem ab amicis vel posteris conlecta et edita esse uno libro, quem librum quia plurima carmina ante quartum librum, ante finem certe quarti libri plurima vel omnia scripta esse videbantur, primo libro submiserunt. Mirum est paucissima in his libris reperiri a Cynthiae amore aliena. Aut amici quaedam non ediderunt,

6*

aut poeta multa quae scripserat ignibus dedisse iudicandus est. Cur illa carmina post Propertii mortem uno libro edita omnibus ante Lachmannum temporibus uno libro coniuncta in duos libros dirimamus plane non est causa, praesertim cum nesciamus quid priori quid posteriori libro poeta inserturus fuerit. Carmen 13^{b} quidem loco non moverim; quod si cui hoc carmen eodem tempore quo carmen III. 10 et prior quarti libri pars scriptum esse videtur non concedo, edidisset enim poeta carmen pulcherrimum paene absolutum in quarto libro, praeterea pentametrorum exitus repugnant. Fortasse tamen in ipsis Propertii schedis alterius tertiique libri carmina certo et immutato ordine inter se non sequebantur. Complura carmina Propertius non edidisset velut c. II. 7, III. 10, 22, 23, 24, 29. Alteri libro fortasse inseruisset carmina III. 31 et 20 (septem mensibus post editum primum librum scriptum) 28 (cf. vv. II. 9, 25 sqq.). Vides crescere tenuem alterum librum, quamquam Knauthius de carminibus III. 16—24^{a} alteri libro inter carmina 7 et 8 inserendis (quaest. Prop. p. 22) nemini persuadebit. Dixi poetam quaedam non editurum fuisse, sin reliqua auxisset et elaborasset, duos libros non inferiores reliquis effecisset multo ampliores certe, quam qui uno libro comprehendi possent. Ergo quicunque invitis libris manuscriptis integra carmina in altero tertiove libro restituere sibi posse videbitur, iterum atque iterum quae disputaturus est examinet, antequam in lucem publicam emittat. Cur nos, quae poeta non coniuncta non cohaerentia reliquerit, illius ingrato munere fungentes consociemus? Discimus quo modo carmina sua exaraverit, quo studio, qua industria, arte lapides quaesiverit circumciderit coaptaverit coniunxerit, deteriora novis mutaverit, totas partes carminum aliquotiens succiderit, priusquam carmina edere posse sibi videretur. Carmen II. 1 sine dubio hac ratione crevit paulatim, fortasse etiam carmen III. 34, quamquam absolutum non est, minus certe idem de aliis quibusdam carminibus statuetur velut de carminibus III. 14 et 15. Haec carmina poterant effluente gaudio facili ingenio quodam modo sua sponte e stilo poetae proruere. Plurima tamen carmina quantopere a reliquorum librorum carminibus acerrimo studio elaboratis discrepent, nemo non videt.

VITA.

Natus sum Antonius Marx a. d. IV. Cal. Nov. anni 1854 Antunnaci qua in urbe parentes meos adhuc inter vivos esse laetor. Fidem profiteor catholicam. Litterarum rudimentis imbutus annis 1866—1872 progymnasii Antunnacensis, duobus qui sequebantur annis gymnasii Treverensis disciplina usus sum. Maturitatis testimonio instructus auctumno anni 1874 universitatem Bonnensem adii, ubi studiis primo theologicis et philologicis mox totus philologicis operam dedi usque ad annum 1880 quo anno Non. Febr. examen pro facultate docendi in eadem urbe superavi. Docuerunt me viri illustrissimi Bergk, Bischoff, Delius, Floss, Heimsoeth, Kaulen, R. Kekulé, Klein, J. B. Meyer, Neuhaeuser et prae ceteris Buecheler, Usener, Foerster. Buecheleri et Useneri insigni erga me benevolentia factum est ut regii seminarii philologici per quater senos menses essem sodalis ordinarius et Foersteri benignitate ut seminarii philol. neolat. per bis senos menses sodalis essem ordinarius. Omnium horum virorum memoriam grato pioque semper animo colam. Postquam per annum stipendia feci, inde a vere anni 1881 apud complura gymnasia Rhenana munere praeceptoris extraordinarii functus sum, donec sub finem anni 1883 viri quorum curae gymnasium Montaborinum est commissum mihi perpetuam sedem in sua urbe liberaliter praebuerunt. A. d. IV. Cal. Iun. huius anni novo examine apud amplissimum philosophorum ordinem Lipsiensium superato ut summi in philosophia honores in me conferrentur rite impetravi.

DE FABULIS PROPERTIANIS

PARTICULA PRIOR

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

DIE XIV M. MAII A. MDCCCLXXX HORA XII.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS OTTO

SILESIUS

ADVERSARII ERUNT

HERMANNUS KANTER, DR. PHIL.
GEORGIUS WISSOWA, CAND. PHIL.
PAULUS FRANZ, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

Sex. Propertium cum in universum tum in rebus mythicis et fabulosis, quibus omnium poetarum Romanorum frequentissime elegias suas distinguit atque ornat, Alexandrinorum poetarum esse aemulum, notum est omnibus. Sed singulis in fabulis quibus usus sit auctoribus Propertius et qua ratione eos expresserit, vix hic illic exploratum atque compertum est. Et est sane haec quaestio difficillima et deperditis omnibus fere poetarum Alexandrinorum elegiacorum copiis ut quae maxime lubrica, sed tamen non infructuosa nec frustra, ut spero, a me suscepta. Collatis enim cum Propertio poetis et Graecis et Romanis, quos et ipsos Alexandrinorum imitatores esse scimus, haud raro contingit, ut aut certo aut non sine magna veritatis specie communem aliquem fontem eruere et enucleare possimus. Etiam frequens quarundam fabularum usus interdum et narrationis color Alexandrinae aetatis auctorem non obscure prodit. Deinde vel post egregias, quas instituit E. Rohde [1]) de fabulis Alexandrinis quaestiones, quibus plurimum me debere libenter fateor, clarius paullo, quibus potissimum et qua ratione usi sint fabulis poetae Alexandrini elegiaci, Callimachus imprimis et Philetas, appariturum esse speravi, si unius Propertii, quippe qui uberrime eos exhauserit, fabulas omnes collegerim, disposuerim, enarraverim [2]). Denique ad ipsum Propertium melius intellegendum, rectius aestimandum, nonnumquam etiam emendandum ex his quaestionibus quaedam redundaverint. Sed ad singulas Propertii fabulas tractandas priusquam aggrediar, in universum nonnulla, quae ad hanc rem pertineant, disputare in animo est.

---

1) E. Rohde Der griechische Roman und seine Vorläufer p. **1—167.**
2) Fabulas Romanas ab his quaestionibus consulto exclusi.

Pars I.

I. De auctoribus Propertii.

Narrandi officium non in epicum tantum poetam, sed etiam in elegiacum, utpote qui medius fere intersit inter epicam poesin et lyricam, cadit. Itaque iam Mimnermum, eroticae elegiae auctorem et conditorem, historias narravisse in elegiis suis ex paucis quae nobis servata sunt fragmentis discimus (cf. Rohde der griech. Rom. p. 72), deinde Antimachus multos amores fabulosos conectens Lyden suam mortuam conquestus est, eademque ratione Alexandrina aetate Hermesianax, Phanocles, Alexander Aetolus, alii fabularum eroticarum longas series epica magis ratione quam lyrica elegiaco metro composuerunt. Qui omnes quam longe distent a poetis elegiacis Romanis, qui sententias et varios animi affectus fabulis suis ornant tantum atque illustrant, in propatulo est. Sed et huius rationis origo quin a Graecis sit repetenda, quicumque quam arte Romani Graecorum vestigia presserint, cognitum habet, non dubitabit. Circumspicientibus igitur nobis ipsi succurrunt Romani, qui cum ubique Callimachum et Philetam, Alexandrinae elegiae principes, laudibus tollant, imitandos proponant, eorum se profiteantur discipulos, non metro tantummodo et universo tractationis colore, sed argumentis quoque et externo, ut ita dicam, carminum habitu ad auctores illos accessisse putandi sunt.

Et Philetae quidem elegiis, quas in Bittida sive Battida suam scripsit, fabulas fuisse interpositas, ex fragmentis satis constat: id unum vereor, ne Rohdius (der griech. Rom. p. 74) ex Antimachi similitudine nimis amplum iis attribuerit spatium: nam et fragmenta extant, ut in tanta reliquiarum penuria fieri potest, sat multa, quae in sententiis atque animi affectibus versentur, et eo, quo nititur loco Rohdius, Ov. trist. I 6, 1 sqq., non de carminibus Antimachi et Philetae sermo est, sed de amore, quo uterque tenebatur. Accedit quod Theocritus, quem multis in rebus magistrum suum secutum esse consentaneum est, fabulis quamvis raro prorsus in Romanorum similitudinem utitur (cf. e. g. id. III 39 sqq.).

Iam vero de Callimacho spinosissima oritur quaestio. Etenim ex quo O. Schneider in prolegomenis ad Callimachi aetia[1]) Callimachi elegias »ab eo poetae libro, quo ille per somnium abreptum se e Libya in Heliconem montem et cum

[1]) *Repetita sunt* in Callimacheis II p. 35 sqq.

Musis colloquentem fingens narravit quae Musae εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων Ἡρώων αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι, non fuisse diversas« demonstrare suscepit, omnes, quod sciam, cupide hanc sententiam arripuerunt [1]), etiam Bernhardyus [2]), etsi dubitanter, ad eam inclinat. At mihi quidem argumentis tam infirmis videtur niti haec sententia, ut veram eam esse non possim mihi persuadere. Primum enim ut concedam »Cydippen«, elegiacum, ut ait Schneider, argumentum, aetiis fuisse insertam (unus non concedit Bernhardyus l. l.), ut etiam concedam Marium iambicam μετάφρασιν Καλλιμάχου Ἑκάλης Ὕμνων καὶ τῶν Αἰτίων confecisse, elegiis non commemoratis, ut denique concedam elegiarum nomine comprehendi ab antiquis scriptoribus quidquid distichis scriptum erat, nihil profecto certi inde ad hanc quaestionem dirimendam proficimus, neque inde, quod fabulas amatorias non paucas in aetiis tractavit Callimachus [3]). Haec enim omnia, quominus etiam alias, quibus de se suisque amoribus egerit, Callimachum scripsisse elegias putemus, nihil nos impediunt. Quod vero omnium gravissimum a Schneidero aliisque adfertur argumentum, ab ipso Propertio II 32, 31 [4]) (Tu satius memorem lusus imitere Philetam et non inflati somnia Callimachi) aetia Callimachi non obscure imitanda proponi, ne illud quidem satis valere existimo. Totus enim sententiarum nexus, qui est illo loco, aperte declarat, epicam fabularum tractationem opponi elegiarum tenuitati, quam Callimachus in aetiis induxerat pro epica narrandi gravitate. Nec tantum amatorias postea commendat fabulas Propertius amico, sed quaecumque in elegiaci carminis tractationem conveniant. Quod ne Schneiderum quidem fugit. »Neque vero solas«, inquit, »intellegit elegias amatorias, sed elegias cuiusvis generis, nam Adrasti Arioni, quem canendum proponit Lynceo, nihil est cum amore«. Nec plane neglegendum existimem, quod ipsa illa argumenta, quae Propertius hoc loco enumerat, alibi in elegiis eius non adhibentur. Denique quod plurima quae aetatem tulerunt Callimachi fragmina probabiliter ad aetia referuntur, quoniam ea et mythographis uberrimus historiae fabularis fons et grammaticis interpretationis fuerunt tamquam palaestra, minime est mirandum. Eodem enim prorsus modo ex Euphorionis, cuius sat multa supersunt fragmenta, elegiis nihil nobis est servatum, etsi et fuisse eas et a Cornelio Gallo imitatione esse expressas constat (cf. Meinekius in Analectis Alexandr. p. 24).

Comprobare adhuc studui nihil obesse, quominus Callimachi

---

1) cf. Dilthey: Callimachi Cydippe p. 74 sqq.

2) Griech. Literaturgesch. II^3 1 p. 564.

3) Quod quo modo fecerit, ea docemur Propertii elegia, qua Tarpeiae historiam narrat (V 4). cf. Rohde d. griech. Rom. p. 82 not. 3.

4) Numeris utor editionis Luc. Muelleri.

elegias ab aetiis diversas et imprimis amatorias lectitatas ess putemus. Sed sunt alia, quae re vera eas fuisse nobis persuadeant. Ac primum per se prorsus est incredibile, Callimachum, poetam omnia fere poeseos genera pariter complexum, praeter aetiorum corpus et brevia epigrammata nihil scripsisse elegiaco metro, cuius princeps habebatur, nullam scripsisse de suis rebus et affectibus elegiam. Accedunt poetarum Romanorum testimonia, qui cum ubique fere Callimachum componant cum Phileta non modo metro et poeseos indole sed rebus quoque et argumentis non fuisse eos diversos docent (cf. Prop. IV 1, 1. IV 8, 43. V 6, 6. Ovid. art. am. III 329. rem. am. 759. Stat. silv. I 2, 253), cum praesertim Ovidius apertis verbis Callimachum ab amore non fuisse alienum testetur (rem. a. 759: »Callimachum fugito, non est inimicus amori«, am. II. 4, 19). Quod vero dicit Ovidius trist. II 367: »Nec tibi Battiade nocuit, quod saepe legenti Delicias versu fassus es ipse tuas«, hoc qua ratione ad Callimachi aetia[1]) pertinere posse putet Rohdius (gr. Rom. p. 89 not. 1) equidem non perspicio. In his enim de suis deliciis saepe profecto non potuit agere. Nec magis probatur mihi O. Schneideri sententia (Callim. II p. 18) ad erotica μέλη referenda esse Ovidii verba, cum, cur ea potius hoc uno loco in animo habuerit Ovidius, causa sit nulla, nec sane probabilius cum Rauchio[2]) in Callimacho commemorando de epigrammatis potissimum eius cogitasse Romanos putabimus. Velim in meam sententiam interpretari etiam Diomedis verba III p. 484 K.: »elegia est carmen . . . . . quod genus carminis praecipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus et Gallus imitati Graecos Callimachum et Euphoriona«, in quibus vix de metro tantum cogitavit. Ceterum Euphorionis mentionem ad unum Cornelium Gallum pertinere censeo: nam apud Propertium et Tibullum, quibus cum »Euphorionis cantoribus« nihil est commune, certum imitationis indicium habetur nullum. Ne nomen quidem eius apud eos occurrit. Quare cavendum est, ne ab Euphorione elegiam Romanam derivare malimus quam a Callimacho, quem magistrum suum ipsi laudant.

Accedit autem ad ea, quae dixi, confirmanda alia res, non minoris ea quidem momenti, sed iniuria adhuc neglecta. Pridem enim animadversum est in Anthologia, quae dicitur, Graeca, praecipue in epigrammatis Byzantinorum, multas haberi sententias, quae mirum in modum cum iis, quas legimus in elegiis Romanis,

---

[1]) De quibus Rohde l. l. p. 86: »Ein wesentlicher Unterschied von den ähnlichen Versuchen des Philetas, Hermesianax u. A. war nur der, dass keineswegs die Erotik, sondern die reine Wissbegierde das verbindende Band bildete«.

[2]) Die Fragmente der Aetia des Callimachus p. 9.

congruant. Quam rem ita explicabant antiquiores et ipse etiam Hertzbergius, ut poetis Byzantinis Romanos in manibus fuisse ac lectitatos esse sumerent. Qua de re prorsus mihi comprobavit, quam comiter mecum communicavit sententiam vir illustrissimus ac praeceptor dilectissimus Augustus Reifferscheid, plane incredibile esse, poetas illos Byzantinos Latinos poetas, quorum ne linguam quidem satis callebant, ac potissimum Propertium imitari maluisse, quam Alexandrinos, ad quos aditus iis facile pateret: immo Propertii beneficio nova Callimachea in Anthologiae epigrammatis posse deprehendi. Ac totam quidem hanc quaestionem, quae ampliorem atque accuratiorem, quam huic loco conveniat, exigit disquisitionem, non pertractaturus sum, sed satis habeo pauca quaedam, quae huc pertineant, summatim adnotasse. Iam multis exemplis cum demonstratum sit a viris doctis, imprimis a C. Diltheyo (in Cydippa) et E. Rohdio, poetas Graecos aetatis posterioris Alexandrinorum esse imitatores — Nonnum sufficit nominare —, nulla profecto per se est causa, cur non etiam epigrammatum auctores, qui in Anthologia Graeca apparent, eodem fonte usos esse putemus. Nam ipsis illis locis, qui in censum vocantur, non ea deprehenditur similitudo, ut dubitari nequeat, quin Graeci Propertium ipsum imitati sint, immo non desunt argumenta, quibus non ipsum Propertium sed auctorem eius ab iis expressum esse evincatur (cf. e. g. p. 21 not. 3.) Iam vero si vera sunt, quae adhuc disputavi, ad ea, quae de Callimachi elegiis proposui, comprobanda quid inde redundet in aperto est. Similes enim illae sententiae ea maximam partem sunt natura, ut in aetiis Callimachi locum habere non potuerint. Neque aliter res se habet de eius epigrammatis. Nam cum easdem sententias inveniamus in elegiis Romanis et in epigrammatis Graecis, multo est veri similius, veras elegias a Graecis illis esse spoliatas atque expilatas, quam epigrammata, praesertim cum imitationis epigrammatum Callimacheorum vestigia apud Propertium sint rarissima et fere nulla, cumque ex epigrammatis Callimacheis, quae nobis sunt servata, pauca tantum sint erotica. Quem autem potissimum imitandum sibi sumpserint nisi Callimachum, elegiae principem? De Phileta enim cogitare cum id nos vetat, quod a Graecis parum legebatur (cf. Bernhardy Griech. Litteraturgesch. II[3] 1, p. 567), tum non raro sententiarum color a Phileta alienus. Quis enim facile sibi persuadebit, a Phileta, poeta serio minimeque levi, sententiam esse profectam, qualis est Prop. III 17, non matronas esse diligendas, sed servas et meretrices, quae eadem simillimis verbis legitur apud Rufinum (Anthol. Pal. V 18), aut vividam furentis amplexus descriptionem (Prop. I 13 coll. Paul. Silent. Anthol. Pal. V 255). Etiam aliis in similitudinibus (velut cf. Prop.

I 9, 1 et Paul. Sil. in Anthol. Pal. V 292; Prop. I 3, init. et Paul. Sil. Anth. Pal. V 275; Prop. II 1, init. et Paul. Sil. V 260; Prop. III 3, 13 et Paul. Sil. V 268; Prop. III 7, 25 et Paul. Sil. V 286; Prop. III 28, 1 et Paul. Sil. V 301; Prop. IV 6, 29 et Antiph. Byz. IX 29; Ov. am. I 7 et Paul. Sil. V 248; am I 10, 1 et Pallad. V 257. epist. VI 43 (Prop. V 3, 13) et Anton. Thall. VII 188; Tibull. I 6, 77 et Inc. VI 283) multa insunt, quae iure aliquis Callimacho assignaverit. Ad aetia tamen natura sua omnino non quadrant. Etiam sextam libri IV elegiam, quae est de Paeti morte, ad Callimachi exemplum a Propertio esse compositam cum Hertzbergio (Quaest. Prop. p. 210) consentio, ubi si v. 43 sq. sententiam legimus in Callimachi fr. 111 et v. 11 sq. comparamus cum epigrammate Glauci Nicopol. (Anth. Pal. VII 285)

οὐ κόνις οὐδ' ὀλίγον πέτρης βάρος, ἀλλ' Ἐρασίππου
ἣν ἐσορᾷς αὕτη πᾶσα θάλασσα τάφος·
ὤλεσε γὰρ σὺν νηΐ· τὰ δ' ὄστεα που ποτ' ἐκείνου
πύθεται, αἰθυίαις γνωστὰ μόναις ἐνέπειν

et v. 1 cum Iulian. Aegypt. (Anth. Pal. VII 586) et v. 29 cum Antiphil. Byz. (Anth. Pal. IX 29), non epigramma Callimachi illud fuisse longioris, ut ait O. Schneider, ambitus, sed veram elegiam censebimus.

Sed tamen dum comprobare studeo fuisse Callimachi elegias ab aetiis diversas, quibus Romani poetae quam maxime sese accommodaverint, non id simul contendo, nihil ex aetiis eius mutuatos esse Romanos. Immo Propertius et iis quas de sacris Romanis scripsit elegiis aperte ea aemulatus est et plura ubi de singulis agam fabulis imitationis vestigia apparebunt. Ita igitur sentio de fabularum Propertianarum auctoribus: Propertius in elegiis scribendis Callimachi et Philetae elegiis amatoriis sese adplicuit, iisdem etiam in rebus fabulosis plurima debet. Praeterea autem Callimachi aetia uberrimam ei praebuerunt fabularum materiam. Huc si addideris quas passim ex ipso Homero, nonnumquam e tragicis hausit fabulas, habes fere, quibus usus sit auctoribus Propertius. Sed accuratius de singularum fabularum auctoribus postea erit agendum, id unum addendum videtur, parum considerate de hac re iudicasse Paldamum (edit. praef. p. XV) cum ita loqueretur: »Alia pariter ex Hesiodo, Apollonio Rhodio, aliis expressit«.

II. Qua ratione fabulas composuerit Propertius.

De externa, ut ita dicam, fabularum specie et habitu etsi accurate egit Hertzbergius (Quaest. Prop. p. 73 sqq.), tamen

iterum disserere non supervacaneum esse puto propterea quod, quae ad Propertium aestimandum inde fluant, minus ille mihi videtur in luce posuisse. Raro igitur Propertius ita enarrat fabulas, ut ipsae potius quam sententiae summam elegiae efficiant, proxime sine dubio hac ratione accedens ad exemplaria Graeca i. e. Alexandrina, veluti I 20. III 10. IV 10, 9 sqq. IV 14. Frequentior is usus est fabularum, ut una aliqua vel duae pluribus peragantur distichis (cf. I 1, 9. II 8b, 29. II 9, 2. III 30, 33. III 31, 27. V 1, 109). Omnium autem saepissime quaternis versibus singulas (I 19, 7. II 4, 7. II 8b. 21. III 5. 47. III 5, 33. IV 4, 7. IV 6, 21. IV 7, 29) vel binas fabulas singulis compositas distichis Propertius comprehendit (I 13, 21. II 6, 15. III 7, 14. III 9, 5. III 13, 5. III 14, 11. III 19, 27. III 30, 57. II 2, 9. II 22, 17. IV 6, 39. V 4, 39. V 5, 5). Et quaternorum quidem versuum numerus etiam ubi tres aut quattuor fabulae copulatae sunt praevalet (I 13, 29. II 1, 51. III 13, 29. III 20, 11. sII 28, 3. III 31, 29). Quamque in duabus fabulis coniunctis observavimus consuetudinem, ut singulis distichis absolvantur singulae fabulae, ea etiam ubi plures conexae sunt servatur (I 2, 15. I 3, 1. II 1, 59—64. III 32, 33. III 24, 17. IV 1, 41. IV 18, 11.). Quae quidem membrorum concinnitas artificiosa interdum evadit, si impari versuum numero fabulae componuntur, velut III 15, 25; IV 12, 51 (4+2.2.); III 22, 27 (4+2); III 17, 27 (2.1+2) imprimis vero IV 22, 29 (2 (1+2) +2 (1+2)). Duo tantum restant loci, qui huic aequali compositioni refragentur: III 30, 31, (2+8 (4+4)) et I 15, 9 (6+4+2.2). Porro ubi unum ponit distichon fabulosum Prop., aut duas complectitur fabulas (II 1, 37. III 8, 29. III 13, 1. III 22, 7) aut, si una est contentus, non asyndetice ponit, sed orationis nexui inserit (II 9, 49. III 21, 5. III 29, 17. III 29, 35. IV 13, 13) exceptis duobus libri V exemplis (V 3, 43. V 9, 57). Qui superest usus singulo versu vel verbo fabulas quasdam peritis in memoriam revocandi, is latius patet neque quidquam attinet, ipsos indicare locos.

Iam si cum Propertio Ovidium comparas, ille in »Amoribus« longiores narrationes prorsus vitat: nam singulis distichis componit fabulas binas (I 7, 5. I 10, 49. II 2, 43 al.) aut ternas (I 7, 13. I 10. 1. II 14, 13 al.) aut plures (I 9, 37. II 12, 17. III 6, 25) et quem in Propertio tam angustis finibus circumscriptum vidimus singuli distichi fabulosi usum, is apud Ovidium multo latius est propagatus (I 4, 7. I 5. 11. I 9, 23. II 5, 27 al.). Eademque fere ratio in ceteris elegiacis Ovidii carminibus Fastis exceptis, in quibus longiores narrationes saepe occurrunt, obtinet. Itaque in rebus fabulosis Propertium videmus largum quidem, sed certis quibusdam usus legibus

adstrictum, contra Ovidium et parciorem et liberius multo in fabulis adhibendis versantem.

Atque eandem diversitatem observamus, si utriusque poetae sermonem inter se comparamus. Propertius enim non tantum anaphora adhibita inter se apte vincire solet fabulas (I 2, 15 Non — Non — Nec. I 3, 1. I 13, 21. I 15, 9. III 6, 1. III 13, 1.), sed etiam ipsorum verborum tanta saepe est in eo aequabilitas, ut molesta possit fieri. Cf. e. g. III 9, 5:

Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
  Ut liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
  Difficile ut toto monte volutet onus,

ubi verbum paene verbo respondet. Aliaque id genus plurima extant (cf. I 2, 15. I 3 init. I 15, 9. I 13, 21. III 13, 1. III 15, 29. III 24, 17. IV 1, 41. IV 18, 11. IV 22, 29 al.). Ovidii varietas et facilitas a tanta severitate et constantia quam maxime est aliena.

III. De necessitudine, quae intercedat inter sententias elegiarum et fabulas.

Sunt certa quaedam sententiarum genera, quae poetae elegiaci Propertius et Ovidius aut iisdem aut similibus fabulis illustrant atque comprobant. E quibus quae saepius occurrunt, haec sunt fere: Laudem et gloriam poetarum durare (sententia haec est ab his poetis ubique repetita) Homeri imprimis carmina docent (vid. Prop. IV 1, 25. Ov. am. III 9, 29. I 15, 9. trist. I 6, 21. Pont. IV 8, 51. cf. Hor. c. IV 9, 5. Theocr. id. XVI 42). Sed carmina epica poetarum elegiacorum vires excedunt (Prop. II 1, 19. IV 8, 37. Callim. fr. 490. Ov. trist. II 317. cf. Hor. c. I 6, 5) neque quicquam in amore prosunt (Prop. I 7. I 9. III 32, 29. Ov. am. II 1, 11. 29. II 12, 15). Puellas igitur amatas potius canunt, quas comparant cum pulchris antiqui temporis feminis (Prop. I 3 init. I. 4, 5. I 14, 21. II 2. III 21, 5. Ov. am. I 7, 13. II 3, 32. III 2, 29. I 5, 11. I 10, 1), et a quibus nullis laboribus et periculis se posse abduci affirmant (Prop. II 1, 51. III 13, 9. III 22, 7). Deos, qui et ipsi amoris vim passi sint (Prop. II 8b, 31. III 7, 13. III 15, 25. III 28, 35. III 30, 31. Ov. am. I 9, 33. II 8, 11. a. a. III 83), ut sibi succurrant, obsecrant vel benignos eos fore pollicentur (Prop. III 22, 27. III 31, 7. IV 7, 29. IV 16, 7. V 4, 39. Ov. am. I 13, 33. III 6, 25. ep. XVI 39. 61. XVIII 129. Anth. Pal. V 289. V 100). Amor tamen durus est deus, prae quo Herculis labores leves fuerunt (Prop. III 9, 5. II 17, 7. III 20, 11), qui est insanabilis et inevitabilis (Prop. II 1, 61. II 4, 17. III 28. 3.

Ov. am. III 6, 13. rem. am. 261. trist. III 8, 1. ex Pont. I 3, 21.), qui saeva etiam bella excitavit (Prop. II 3, 33. II 6, 15. II 8b, 21. 29. III 32, 7. IV 10. Ov. am. I 4, 7. II 12, 17. ep. XXI 247). Sui temporis pravitatem et miseriam antiquo et feliciori tempori opponunt (Prop. I 1, 9. I 2, 15. I 15, 9. II 9, 2. III 10. V 3, 43[1])), praesertim in amoris fide, qua excellunt feminae fabulosae Penelope, Euadne, Briseis, Alcestis, aliae multae (Prop. I 15, 9. II 6, 23. II 9, 2. III 10. IV 11. al. Ov. am. III 4, 23. a. a. III 15. epist. V 107. trist. V 5, 50. V 14, 35. ex Pont. III 1, 107 al. cf. Stat. silv. V 3, 272). At viros iam antiquis temporibus perfidos fuisse satis ostendunt Iason, Ulixes, Demophon, Theseus (Prop. III 14, 11. III 19, 27. Ov. a. a. III 30. 457 al.), quamquam etiam mulierum ira furentium et sceleratarum non desunt exempla (Prop. IV 18, 11. IV 14, 11. Ov. a. a. I 220. rem. am 55. cf. Stat. silv. II 1, 170), et maxime dona et munera multas corruperunt et pessumdederunt, velut Creusam, Hypsipylen, Danaen (Prop. III 8, 29. Ov. am. I 10, 47. III 8, 29. cf. Anth. Lat. I p. 78 R. al.). Haec autem et quae alia sunt eius generis quin ex Alexandrinorum elegiis maximam partem sint translata, ipsius usus constantia prodit.

Sed ad Propertium ut me convertam, quam ille in componendis et eligendis fabulis haud raro adhibuerit artem et consilium, nondum satis mihi videtur esse perspectum. At consilium certe est agnoscendum, si I 13, 21 post verba: »Tantus erat demens inter utrosque furor« et virilis et muliebris furoris sequuntur exempla Pero et Hercules. (Eandem rationem observamus III 7, 13. III 6, 1. V 5, 5). Nec sine causa factum esse puto, quod III 33, 33 sqq. Lynceo amico Acheloum et Maeandrum flumina et Ariona equum canenda proponit. Amicus enim ille non tantum epicae videtur fuisse studiosus poeseos, sed etiam philosophis et imprimis quaestionibus naturalibus implicitus (cf. v. 27 sq. v. 51 sq.), quare flumina et equus non sine acumine a poeta videntur esse electa. Tum, ut nihil dicam de exemplis I 15, 9 sqq. gradatim procedentibus nec de variis quae animo subiciuntur imaginibus I 3, 1 et II 2, 7, I 2, 15 sqq., ubi demonstraturus est poeta puellas fabulosas sine cultu luxurioso fuisse pulchras, eas componit feminas, quae et pulchritudine sua allexerant iuvenes et ipsae ab iis abductae sive raptae erant. Denique tria ubi coniuncta sunt exempla, tertium fere videmus ab antecedentibus argumenti similitudine paullulum deflectere, velut I 2, 15 post Leucippidas abreptas sequitur Hippodamia sua sponte

[1]) Negative loquitur Prop. I 15, 9. III 13, 7. Omnino haec orationis forma valde ei placuit, cf. I 2, 15. I 13, 21. II 9, 49. III 6, 1. III 13, 5. IV 17, 27. IV 22, 29.

avecta, et I 3, 1 Ariadnae et Andromachae feminis fabulosis subiungitur Maenas, et II 1, 51 Circe et Medea compositae sunt cum Phaedra, et v. 69 Tantalus et Danaides in Orco sunt, Prometheus ad saxa Caucasea est alligatus, et IV 1, 41 Polyphemus cantu suo Galateam vincens diversus est ab Orpheo et Amphione, qui antecedunt. Similiter res se habet III 28, 3. III 30, 31. III 31, 29 sqq.

Sed cum omnis comparatio, ut nos dicere consuevimus, claudicet, fieri non potuit, quin nonnumquam minus apta exempla poneret Propertius. Nolo enim premere, quod Haemo (II 8b, 21) non ob perfidiam Antigones sese interemit, neque quod Venus Adonin (III 5, 37) etiam vivum amavit, non demum mortuum; verum Danae (III 30, 51) neque incesta fuit puella, neque cadit in eam v. 56: »Quae dea cum solo (potuit) vivere sola deo«. Insolentius etiam II 4, 7 Melampodis est exemplum. Ille enim nec »trepidavit in amore ferox« et postea est domitus nec sibi ipsi puellam expetivit, ita ut sola remaneat similitudo, quod labores indignos ob puellam passus sit. Deinde etiam IV 6, 21 Argynni historia non nimis arto vinculo cohaeret cum sententia antecedente, etsi inde transpositionis causa non debet sumi. Eos enim certe falsos puto esse atque deceptos, qui post Graecorum classem mari demersam et Ulixen mari vexatum (v. 39 sqq.) eam collocant[1]). Quod enim duo illa exempla demonstrant »ut tibi succedat vix semel esse potest«, quid ad Argynnum et Agamemnonem? Num in mari amisit Argynnum amatum et Iphigeniam filiam Agamemnon? Et alia de Graecorum classe antecedente fabula haec non sane bene posita esset historia. Itaque etiamnunc placet, quod Schneidewinus (Philol. I. p. 376) Argynni fabula comprobari censuit, non habere undam deos (v. 18). Postremo non ausim adstipulari Rohdio (gr. Rom. p. 103 not. 1) Briseidis fabulam (II 9) false illuc ubi nunc legitur esse illatam. Nam etsi probe sensit vir doctissimus a v. 19: »At tu non una potuisti nocte vacare« e. q. s. ad Penelopen redire orationem, tamen non adeo severe hanc rem ponderandam esse putaverim. Briseis enim, quae etiam mortuum Achillem flevit atque curavit, non minorem fidem atque constantiam praestitit quam Penelope. Ceterum adnectendam esse fabulam ad priorem aliquam, ipsum initium (Nec non) dilucide arguit.

Sed non desunt loci, qui quin false suo loco habeantur, dubitari nequeat. Ac primum II 8b, 21 sqq. quae de Achillis ira leguntur, non recte subiungi versibus praecedentibus diu est intellectum; mihi certum est ponendam esse narrationem

---

[1]) Etiam Baehrensius, qui antea (Miscell. crit. p. 10.) sqq.) hanc transpositionem probaverat, in editione sua, quae modo prodiit (Lips. 1880) versuum sedem non mutavit.

post el. 8 v. 6, ubi ad verba: »Possum ego in alterius positam spectare lacerto, Nec mea dicetur, quae modo dicta meast?« unice quadrat Briseis ab Achille abducta. Retrahenda autem huc, unde Achillis fabulam eiecimus, mihi videntur, quae elegiae sequentis fini videmus assuta; »Non ob regna magis« e. q. s. Minatur enim poeta se rivalem suum interfecturum praesente puella[1]). Deinde false leguntur etiam eo quo nunc positi sunt loco libri III el. 8 vv. 29 sq.: »Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris, Arserit et quantis nupta Creusa malis«, ad quos haec adnotat Hertzbergius: »Cum Eriphyla Cynthiam comparari non mirum. Nam utraque maritum donis prodidit. Quid autem simile in eiusdem atque Creusae condicione sit, nisi quod altera donis acceptis (nec tamen ab ipso adultero) perierit, alteram donis perituram Prop. minetur, non equidem perspicio. Recte igitur credas Prop. fabulam secutum esse, qua veste illa funesta non a Medea inter nuptias donatam esse Creusam, sed illectam eo dono ab ipso Iasone narraretur, simili fortasse modo in talem eventum decepto atque Deianira fuit a Nesso«. Vides eo desperationis ductum interpretem esse, ut novam plane fabulam fingeret. At neque ita tacite Propertius a vulgari fabulae forma omnibusque nota potuit recedere, neque Cynthia eam ob causam cum Eriphyla comparatur, quod maritum prodidit (at Cynthia non prodidit), sed quod donis periit. Itaque idem prorsus Eriphyles interitus comprobat, quod Creusae, scil. cavenda esse dona puellis saepe funesta. Iam vero hoc perspecto simul intellegitur ipsum distichon hic non habere locum. Neque enim antea nec postea de donis sermo est, et v. 31 sqq. sententia bene cohaeret cum v. 25 sq., ut ne de lacuna quidem possit cogitari. Verum si mecum versus post v. 22 transposueris, nihil puto erit quod reprehendas.

Omnium interpretum et criticorum crux fuerunt et adhuc sunt lib. IV el. 22 v. 37 sq. »Arboreasque cruces Sinis et non hospita Grais Saxa et curvatas in sua fata trabes«, quos frustra cum antecedentibus coniungere studebant editores, cum aut »habuit« supplerent (Lachmannus), aut lacunam statuerent (Luc. Mueller, Baehrensius) sermonis concinnitati summam inferentes vim. Sed omnia haec frustra temptata debebant esse, quia non intellegebant, hos versus huc omnino non pertinere. Quid enim? Nonne arboreas cruces Sinis et saxa Scironis multo maiore iure, ne dicam unice recte, ad reliquias illas referemus, quas initio carminis amico talium rerum studioso enumerat poeta? An re vera cruces Sinis et saxa inhospitalia fabulae sunt, quas sani homo iudicii cum Andromeda Thyeste

1) Similiter video iudicare Baehrensium in edit. (not. ad. II 8, 28).

Althaea ceteris componat? Accedit quod artificiosa illa structura, qua insignes sunt versus 29—36 [1]), tali additamento funditus deletur. Tu igitur confidenter mecum reponas

v. 9 Geryonis stabula et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique Hesperidumque choros,
v. 37 Arboreasque cruces Sinis et non hospita Grais
Saxa et curvatas in sua fata trabes.

Iam vides quid sibi velit particula »que« initio versus 37 posita.

IV. Quales a Propertio adhibeantur fabulae et qua ratione tractentur.

Fabulae amatoriae i. e. deorum heroumque amores in elegiis Romanis aeque atque in Alexandrinis longe ut praevaleant, et aetatis et poeseos indoles fert. Sed haec res satis superque, ubi de singulis fabulis agemus, elucebit [2]), nunc quae singularia habeat Propertius indicare libet. Primum igitur dignum videtur esse notatu, quod plane ex ingenio suo et indole studiose eas arripit fabulas, quae in laboribus et molestiis amantium versantur, Milanionis dico, Herculis, Melampodis, Achillis, Agamemnonis, Ius, Antiopes historias, quibus possis adiungere Andromedam, Callisto, Ino. Aeque in deliciis habet deorum heroumque fabulosos concubitus, velut Neptuni et Perus, Herculis et Hebes, Mercurii et Brimus, Lunae et Endymionis, Tithoni et Aurorae, Iovis et Alcmenes, Achillis et Briseidos, Hectoris et Andromaches, Neptuni et Amymones, Oeagri et Calliopes, Veneris et Anchisae, Paridis et Helenae, Aiacis et Cassandrae [3]).

Μεταμορφώσεις quam curiose excoluerint poetae Alexandrini, vel tironibus notum [4]). Quare non est mirandum etiam apud Propertium occurrere tales mutationes non paucas, velut Procnes et Philomelae, Niobes, Ius, Inus, Callistus, Myrrhae, Scyllae, Neptuni, nautarum Tyrrhenorum, Hylae al. Atque ex eodem fonte repetendum est, quod venatorum pastorumque fabulae immixtis locorum descriptionibus leguntur apud Propertium veluti Atalantes, Hylae, Adonidis, Endymionis, Anchisae [5]). Sed hic maxime, quam alienus sit Propertius a poesi, quae dicitur,

---

[1]) vid. p. 7.

[2]) Collectiones talium fabularum, quarum iam taedebat poetas Latinos posteriores, dant Ovid. am. III 12, 21. Manil. Astron. V 462. Lucil. Aetna v. 17. Martialis epig. IV 49. V 53. X 4. X 35. Nemesian. Cyneg. 15. al.

[3]) cf. etiam Prop. II 3, 30.

[4]) cf. Rohde l. l. p. 84 sq.

[5]) cf. Rohde l. l. p. 143. Helbig Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 274 sqq.

idyllica, inde elucet, quod Apollo Admeto serviens[1]) vel Daphnin[2]) vel Hyacinthum amans apud eum non occurrit, etsi argumenta haec sunt prorsus Alexandrina.

In fabulis tractandis quam diversi fuerint poetae aetatis Alexandrinae ab antiquioribus et quid valuerint in posteriores, nemo est quin sciat. Nam cum undique ex Graecia sedulo atque industria colligerent fabulas remotas et absconditas, et fabularis historiae notitiam valde auxerunt et a vulgari narrandi ratione persaepe deflexerunt. Qua in re Propertium totum videmus ab Alexandrinis pendentem. Nam non solum eas fabulas, quas primi illi carminibus tractaverant, quales sunt Galateae, Demophontis, Hylae, exhibet, sed etiam non ita raro insolita et nova ratione narrat. Ita de Boreadibus Hylam insectantibus nihil aliunde compertum habemus, nec de Iphigenia ob Argynnum Cephisso demersum mactata, nec de Androgeone vitae restituto. De Phaedrae poculis, de Briseide Achillem lavante, de Helena nuda a Paride visa auctoribus deperditis praeter Propertium nemo narrat.

Cavendum tamen est, ne, in quo nimis frequens est Hertzbergius, ubi aut non satis facilis sit explicatio, aut scriptura incerta, novas procudamus fabulas et ex ignotis nobis fontibus Propertium putemus hausisse. Cuius generis exempla nonnulla sustulit Hauptius (cf. opusc. II p. 54 sqq.), unum nuperrime felici emendatione expulit Rossbergius (I 13, 24. cf. Rossb. Lucubrationes Propertianae p. 52 sqq.). Pertinet huc etiam quam Hertzbergius finxit pugna Nestoris cum milite Gallico commissa. Aliis vero locis vulgaris fabulae forma sufficit, velut in Creusa, de qua iam dixi, et in Melampode, de quo suo loco agendum erit.

Quibus in fabulis ab antiqua narrandi ratione tragicis partim inde ab Euripide praecedentibus poetae Alexandrini desciverunt, Propertium ubique habent sectatorem. Itaque amoris vis, ubicumque fieri potest, infertur: Helena iam pulchritudine et facie causa est belli Troiani, Antiope iam non, quod cum Iove seu cum Epopeo consuevit, vexatur a Dirce, sed propter adulterii suspicionem, Omphale sola pulchritudine Herculem domat et effeminat, Scylla non pecunia corrupta sed amore furens patri desecat comam fatalem, Aiax non modo abripit Cassandram a Minervae statua, sed etiam diligit, quaeque alia sunt eius generis. Imprimis vero et poetae et aetatis ingenium perspicitur, ubi res ad voluptates et libidines spectantes oculis subicit deorumque et heroum mores in mollius

[1]) III 32, 28 Thyrsin et Daphnin habet ex Vergilio.

[2]) Quod Iacobus Prop. IV 13, 39 Apollinem Admeto servientem sibi visus est deprehendere, a recentioribus iure est spretus (cf. Baehrens. Miscell. crit. p. 105).

et delicatius vertit. Ac multos, qui in Propertio leguntur, concubitus iam memoravi. Referendum huc est etiam, si nudae in scaenam producuntur deae et heroinae,[1]) Venus in Ida monte, Helena, Luna, Minerva, quam nudam vidit Tiresias.[2]) Quamquam Propertius vigore suo et vero animi ardore minus in his rebus offendit quam Ovidii levitas et lascivia (cf. Ov. am. I 9, 35. I 13. II 17, 17. II 14. epist. II a. e. I 289. II 571 al.) et Anthologiae Graecae epigrammata non pauca.

Qui cum hac morum levitate apud poetas et artifices Alexandrinos coniunctus conspicitur animi affectus, quem nos Sentimentalität nuncupare solemus,[3]) ne huius quidem apud Propertium desunt exempla. Sufficit notasse Hylam ab Hercule quaesitum, Milanionem pro puella amata laborantem, Achillis iram, Protesilaum ex inferis redeuntem, Venerem Adonin plorantem, Briseida Achillem. In iis maxime, quas copiosius tractat, fabulis rebus summatim indicatis, ut peritis in memoriam redeant, in affectuum minutarumque rerum descriptionibus commorari gaudet, ita tamen, ut a rhetorica illa et verbosa Ovidii ratione, quam in Epistulis et Metamorphoseon libris saepissime aegre ferimus, procul absit.

Haec vero Propertii consuetudo summatim tangendi res praeter ipsius sermonis duritiem non raro difficilem eum reddit intellectu. Huc si addideris, quod unius distichi spatio frequenter includit et tamquam comprimit fabulam, ita quidem ut nullum verbum sine vi sua sit positum, nullum non studiose excogitatum, habes fere causas decantatae illius obscuritatis Propertianae in rebus fabulosis potissimum molestae. Atque haec copiosa doctrina et eruditio interdum commovit poetam, ut ea adderet, quae ad sententiam, ob quam posita est fabula, supervacanea et non necessaria, ad fabulam ipsam plenius noscendam pertinerent. Qualia additamenta sunt I 2, 20: »avecta externis Hippodamia rotis«, II 1, 52: »pocula privigno non nocitura suo«, II 4, 10: »mox Amythaonia« e. q. s., III 21, 6: »aurea quam molli« e. q. s., III 30, 39: »Cum quibus Idaeo« e. q. s., IV 11, 30: »Paverat hos Phoebe« etc., IV 12, 53: »At mons laurigero«, e. q. s., IV 18, 27: »Non tamen immerito«, e. q. s. Similiter III 28, 17 in tibiae commemoratione addit fabulam de Minerva tibias abiciente. Idemque doctrinae studium in eo cernitur, quod ubique fere accurate indicat, quo acta sit loco fabula (cf. I 1, 11: Partheniis in antris 14: Arcadiis rupibus. I 2, 18. 3, 7. 15, 22. 19, 10. 20, 4. 19. 33. II 1, 39. 69. 8b, 24. 4, 38 etc.), et

[1]) de picturis vid. Helbig Untersuchungen über die campan. Wandmalerei p. 262 sqq.
[2]) ad sententiam cf. etiam Prop. IV 12, 38.
[3]) *Rohde gr. Rom.* p. 42. Helbig Untersuchungen. Abschn. XXI.

personae fabulosae ubi natae sint (cf. II 1, 63: Haemonius iuvenis. I 13, 21. II 9, 16, III 4, 8. 32, 33. IV 1, 26; IV 10, 14. 12, 55. 18, 13 etc.). Patris nomine insignire fabulosas personas etsi magis ex usu est poetarum, tamen etiam hac in re nimius est Propertius (cf. I 2, 15: Leucippis. 18: Eueni filia cf. I 1, 10. 3, 2. 3, 20. 13, 21. 15, 17. 19, 7. 20, 19. II 1, 38. III 6, 1. 6, 7. 19, 43. 30, 31 etc.).

Cum hac autem Propertii doctrina et duritia si comparamus Ovidii facilitatem doctrinae incuriosam et nonnumquam neglegentem, quam diversum sit utriusque poetae ingenium perspicuum est. Accedunt alia. Cum enim Propertius epice quodammodo (asyndetice plerumque ponit) fabulas peragat atque serio et cum ardore atque affectu animi, Ovidius lyrice magis sententiarum nexui inserit et immiscet, ludens de iis meditatur (am. II 2, 43. 6, 41. 19, 29 al.)[1]), ut commenticias deridet (am. III 6, 17. III 12, 41. trist. IV 7, 10), libentissime vero acumen et sales etiam in rebus fabulosis venditat (cf. am. I 13, 41. 5, 47. II 12, 9. III 2, 15. 3, 17. 4, 19. a. a. I 247. 363. II 141. 353. III 759 al.)[2]). Denique quod saepe facit Ovidius, ab externo personarum cultu et habitu describendo (cf. Ovid. a. a. I 509 (Theseus et Hippolytus inculti, Adonis) 529 (Ariadne). II 645 (Andromache spatiosior) (cf. III 109) III 137 (Laodamia). III 155. 189. 775. (Memno niger et Andromeda nigra am. I 8, 3. 13, 33. a. a. I 53. ep. 15, 35. a. a. II 643 Leda am. II 4, 42) Propertius plane abstinuit, ut hoc uno argumento refelli videatur, qui nuperrime »tenuem« Creusam ei inferre studuit, Baehrensius Miscell. crit. p. 91).

V. Quae ratio intercedat inter Propertii narrationes et artis monumenta.

Difficilem adeo quaestionem et valde lubricam, sed quam eo magis hic praetermittere nolui, quod quae in hanc partem de Propertio sunt disputata mihi non omnia recte se habere videntur. Cum enim Propertius vividissimam saepe eorum quae narrat imaginem animo legentis subiciat, iam Hertzbergius (Quaest. Prop. p. 71) non raro artis monumenta poetae ante oculos versata esse opinatus est, et nuper Helbigius[3]) certis et Propertii et aliorum poetarum Romanorum exemplis hanc opinionem confirmavit[4]). Ac Propertius, qui artificum

---

[1]) Notabile videtur, Ovidium condicionaliter saepe loqui, velut am. II 12, 17: »Nisi rapta fuisset — pax foret« cf. a. a. III 759. rem. a. 55. trist. V 5, 51. IV 3, 75, ex Pont. III 1, 51. am. II 14, 13, a. am. III 413, Propertium numquam.

[2]) cf. in universum Hauptii opusc. p. II 205 sqq. iudicium.

[3]) Untersuchungen über die camp. Wandmal. p. 112 sqq.

[4]) cf. etiam C. Dilthey in Mus. Rhen. XXV p. 153 sqq.

et artium notitiam libenter ostendit (cf. I 2, 22. I 14, 2. III 29. IV 8, 9), ipse qualia potissimum in mente habeat opera frequenti tabularum pictarum mentione significat (cf. IV 7, 16: »Seu miserum in tabula picta puella movet«, IV 21, 29: »Aut certe tabulae capient mea lumina pictae«, II 6, 9: »Me iuvenum pictae facies — laedunt«, v. 27: »Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas« e. q. s. De picto Amore cf. III 3). Unde apparet, minus recte Hertzbergium cogitasse de signis aereis et statuis, cum tabulae potius parietum, quas et ipsas argumentis et pingendi ratione ab Alexandrina aetate pendere nunc iam ex Helbigii inquisitionibus scimus, in comparationem fuerint adhibendae. Nec tamen omnia hic pariter sunt aestimanda. Cum enim multa fabularum argumenta iam inde ab aetate Alexandrina et poetis et pictoribus essent communia [1]), gratam certe memoriam talium fabularum mentio legentibus subiecit et faciliorem invenit intellectum, neque id a poetis est neglectum [2]). Nobis tamen ii modo conquirendi sunt loci, in quibus ex ipsis poetae verbis videtur apparere picturam aliquam vel artificium animo eius esse obversatum. Ac primum Ariadnes dormientis descriptionem I 3, 1

Qualis Thesea iacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus

suo iure Helbigius comparavit cum picturis Pompeianis, in quibus Ariadnen conspicimus iacentem et Thesei navem avehentem (cf. Helbig die Wandgemälde der untergegangenen Städte Campaniens No. 1217 sqq.), rectius quam Hertzbergius, qui notam illam contulit statuam Ariadnes quae dicitur iacentis in Museo P. Cl. asservatam. Iure idem Helbigius in Maenadis concidentis imagine (I 3, 5) provocavit ad tabulas Pompeianas (Helbig No. 542 sqq.). De Helle mari iactata (III 21, 5) confirmat opinionem Ovidius fast. III 869

Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
  Femina cum de se nomina fecit aquae.
Paene simul periit, dum v u l t s u c c u r r e r e l a p s a e
  F r a t e r e t e x t a n t e s p o r r i g i t u s q u e m a n u s

(cf. Helbig No. 1251 sqq.). Deinde V 3, 21 Ocnum o b l i q u u m recte de transversa restionis positura explicat Hertzbergius et ad picturas refert (vid. quae infra de ipsa fabula dicam). Itemque Propertii verba IV 1, 45

fera Galatea sub Aetna
  Ad tua rorantes carmina flexit equos

---

1) Repraesentantur in picturis Pompeianis Danae, Europa, Leda, Ganymedes, Amymone, Venus et Mars, Venus et Adonis, Perseus, Pasiphae, Theseus, Medea, Iphigenia, Briseis, aliaque eius generis multa.

2) cf. O. Iahn Berichte der sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1855 p. 225.

in memoriam revocant tabulas Pompeianas, quae Polyphemum sub Aetna canentem et Galateam in mari advehentem repraesentant (cf. Helbig No. 1042 sqq. O. Iahn Archäol. Beiträge p. 227. Philostr. im. II 18). Incertiora sunt exempla Prop. II 1, 19

Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia et a medio pectore pellet avem

(cf. Helbig No. 1128. O. Iahn Archäol. Beitr. p. 227) et III 7, 15

Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur et nudae concubuisse deae

(cf. Helbig No. 950 sqq. O. Iahn Arch. Beitr. p. 51 sqq. p. 68. p. 447). Sed quae praeterea huc trahit Hertzbergius, Ius caput bovinum et cornua, Zeten et Calain Hylam sectantes, Hylam raptum, Dircen sub tauri ora alligatam, Venerem et Anchisen, ea omnia non tam ex ipso poetae ingenio et ex ipsius memoria tabularum pictarum fluxisse, quam auctoribus Alexandrinis deberi, aliorum poetarum comparatio mihi videtur docere [1]).

Pars II.

In singulis Propertii fabulis enumerandis et illustrandis eum ordinem secutus sum, ut initium caperem a carminibus epicis, quae Troiae et Thebarum fata continebant, deinde agerem de Argonautarum itinere, tum quae de diis heroibusque leguntur apud Propertium fabulae recenserem, ultimo loco adderem quae ex rerum memoria magis minusve fabulosa sunt desumpta. Primum igitur agendum erit

I. De fabulis Troianis.

Fabularum Alexandrinarum naturam iam in ea, quae prima in conspectum venit, Paridis dico iudicium, apprime cognoscimus. Cum enim apud antiquiores auctores Veneris promissa maxime animum Paridis movissent, ab Alexandrinis poetis ita fabula est immutata, ut Venus sola corporis pulchritudine victoriam rettulisse et Paris nudas contulisse

[1]) Mira quaedam de Hyla rapto pronuntiat C. Peiper Quaest. Prop. progr. gymnas. Creuzburg 1879 p. 3: ..... »ita illo loco«, inquit, »tabulam pictam ei ansam dedisse ut casum illum Hylae exponeret [falsum hoc est, nam ansam dedit amicus in puerum aliquem amore incensus]. Etenim gratificaturus Gallo poeta imagine eius generis conspecta [?] Hylam comparat cum puero ab illo amato .... media fere elegia ad Boreadas venit Hylam persequentes, id quod idem fuisse pictoris momentum tabulae traditum [quod quomodo fieri potuerit in una tabula equidem non perspicio] inde coniciatur, quod apud poetas non reperitur, quae noster inserit de Aquilonis prole [unde igitur pictor rem novit? an ipse suo ex ingenio finxit?]«.

deas perhiberetur. Ita enim Propertius II 2, 13

Cedite iam divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicas ponere verticibus

et Ovidius epist. V 3, 5: »Qua Venus et Iuno sumptisque decentior armis Venit in arbitrium nuda Minerva tuum« et Ps. Ovid. epist. XVI 115: »At Venus hoc pacta est et in altae vallibus Idae Tres tibi se nudas exhibuere deae«, imitatus ille Ovidium fast. VI 15: »Nec quas Priamides in aquosis vallibus Idae Contulit« (cf. etiam Ov. a. a. I. 247 sqq. Anth. Lat. No. 10 R. Auson. epigr. 42). Lascivius etiam rem enarrant Lucianus (dial. deor. 20) et in eadem atque Propertius sententia Rufinus (Anthol. Pal. V 35. 36. 69) Strato (Anth. P. XII 207) Plato (Anth. P. XVI 160—170. 174. 178. 181. 182), Euenus, qui etiam in verbis cum eo mire congruit (Anth. P. XVI 166):

Πρόσθε μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσιν αὐτὸς ὁ βούτας
δέρξατο τὰν κάλλεος πρῶτ' ἀπενεγκαμέναν.

Ad fontem aliquem communem redire hanc et argumenti et usus similitudinem certum mihi videtur, etsi ipsum auctorem indicare non habeo.

Illo in iudicio Venus Paridi promiserat, se ei Helenam, pulcherrimam omnium feminarum (Prop. II 3, 32: »Post Helenam haec terris forma secunda redit«), Menelai uxorem, in matrimonium daturam. Itaque Paris navibus instructis multis cum opibus in Graeciam avectus est, ut inde abduceret Helenam, quae antea virgo cum esset, in Eurotae ripis cum fratribus suis in palaestra sese exercuerat, ut ait Propertius IV 14, 19

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur nec fratres erubuisse deos[1]).

Ne id quidem sine exemplari dictum esse patet ex Theocrit. id. XVIII 22: »ἄμμες δ' αἱ πᾶσαι συνομάλικες, αἷς δρόμος ωὑτὸς χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετρῶ« et Ps. Ov. epist. XV 149: »More tuae gentis nitida dum nuda palaestra Ludis et es nudis femina mixta viris« et Stat. silv. IV 8, 28: »Qualis maternis Helene iam digna palaestris Inter Amyclaeos reptabat candida fratres«. Similiter Coluth. rapt. Hel. 352:

»Μὴ διερῶν γονόεντος ἐπ' Εὐρώταο ῥεέθρων
Νηχομένην ἐκάλυψεν ὑποβρυχίην σε γαλήνη«.

Philetaeam esse sententiam Theocriti discipuli auctoritas persuadet, nisi, quod minus est probabile, huc spectat Callimachi fr. 225: »ἔσκεν ὅτ' ἄζωστος χ' ἀτερόπορπος ἔτι« (vid. O. Schneider).

Haec vero si paullo minus nota est historia, Paris hospes et Helenae corruptor ab omnibus eius aetatis poetis certatim

1) De Baehrensio, qui novissime in edit. Prop. verba sana, ut meum fert iudicium, corrupit, dicere hic non est loci. Scribit enim: »Helene *fluidis versata capillis*«.

commemoratur et incusatur. Itaque in hospitis et adulteri nomine omnes cum Propertio III 32, 7

Hospes[1]) in hospitium Menelao venit adulter

congruunt (cf. Verg. Aen. X 92. Hor. c. I 15, 1. III 3, 19. 25. IV. 9, 8. Ov. a. a. II 359. 365. epist. I 5. VIII 73. XIII 44. XVI 3. Nec tantum Paris ab his poetis infamatur, sed etiam Helena tantam maculam traxit, ut adulterae nomine notetur (cf. Hor. ep. 17, 42. c. III 3, 25. Ov. ep. XIII 133. V 125. am. II 18, 37). Eoque referendum est iudicium, quod de Helena, Iliadis argumento, ferunt Propertius II 1, 50

Et totam ex Helena non probat Iliada

et Ov. trist. II 371: »Ilias ipsa quid est nisi turpis adultera, de qua Inter amatorem pugna virumque fuit, Aut quid Odyssea est, nisi femina propter amorem Dum vir abest multis una petita procis«, quocum recte compones epigr. Anthol. Pal. IX 166: »Πᾶσαν Ὅμηρος ἔδειξε κακὴν σφαλερήν τε γυναῖκα, Σώφρονα καὶ πόρνην, ἀμφοτέρας ὄλεθρον. Ἐκ γὰρ τῆς Ἑλένης μοιχευσαμένης φόνος ἀνδρῶν Καὶ διὰ σωφροσύνην Πηνελόπης θάνατοι«. cf. praeterea Hor. epist. I 2, init. Idem plane fuisse Callimachi iudicium docet fr. 486: »ἀάτην Ἀργείων«. (cf. O. Schneider Callim. II p. 76) et fortasse Catullus 68, 103: »Ne Paris abducta gavisus libera moecha Otia pacato degeret in thalamo«[2]).

Sed ut ad Alexandrum revertar, de primo Helenae adspectu quod narrat Propertius III 7, 13

Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo

apud alium auctorem non inveni; inter cenam enim Paridem amorem concepisse narrant, etiam is, qui colore ad Propertium proxime accedit, Ovidius ep. XV, 247: »Prodita sunt, memini, tunica tua pectora laxa Atque oculis aditum nuda dedere meis«.

Neque invitam abductam esse Helenam a Paride, testatur Propertius III 30, 31

---

[1]) Interpolatori deberi voc. »Hospes« persuasit mihi Luc. Mueller: nam quis in hospitium venire potest nisi hospes? At quod scripsit »Tros et« non placet, minus etiam quod contra usum sermonis Propertiani et concinnitatem (nam et versum sequentem coactus est mutare) coniectat [et in edit. sua in textum recipit] Baehrensius (Miscell. crit. p. 96): »Hunc per«. Magis certe poetarum usui responderet »Phryx et«, nisi versus sequens scribendum esse suaderet »Nonne et«. Particula »et« posita est pro »etiam«. Eadem orationis forma utitur III 15, 29 sqq. Propertii versum novit fortasse Ps. Ov. ep. XVIII 177: »Ut semel Idaeus Lacedaemona venit adulter«.

[2]) De Helena quid senserint antiqui, exposuit Lehrs Populäre Aufsätze p. 1 sqq.

Tyndaris externo patriam mutavit amore
Et sine decreto[1]) viva reducta domumst.

De rapta Helena potes conferre Bion. id. 10. Lucret. I 458. Hor. c. I 15, 1. Ov. am. I 10, 1. II 12, 17. a. a. III 760. ep. VIII 73. XV 339. XVIII 178. rem. a. 65. 775. Metam. XII 5; de Helena reduce Ov. Pont. IV 16, 25: »et auctor Tandalidae reducis Tyndaridosque Lupus« et Senec. Agam. 274: »Ignovit Helenae; iuncta Menelao redit«.

Causam fuisse Helenam belli Troiani inde ab Homero (Il. III 154 sqq.) ab omnibus propagatum, etiam erotici poetae saepe repetunt, in eo tamen, ut iam dixi, ab antiquioribus recedentes, quod facie eius et amore reges ad bellum suscipiendum compulsos esse dicunt. Ita enim Propertius II 3, 35

Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europae atque Asiae causa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.
Digna quidem facies[2]) pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli causa probanda fuit.

et II 6, 15

His olim, ut fama est, vitiis ad proelia ventum est,
His Troiana vides funera principiis,

atque similiter aequales Vergilius Aen. X 90: »Quae causa fuit consurgere in arma Europamque Asiamque et foedera solvere furto?«, Ov. am. I 10, 1: »Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis Coniugibus belli causa duobus erat«, am. II 12, 17: »Nec belli est nova causa mei. Nisi rapta fuisset Tyndaris Europae pax Asiaeque foret« al. Ad orationis formam cf. Cat. 68, 87: »Nam tum Helenae raptu primores Argivorum Coeperat ad sese Troia ciere viros. Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque«, Senec. Agam. 275: »quae Europam et Asiam paribus adflixit malis«, Stat. Achill. I 82: »ratus ordo deis, miscere cruentas Europaeque Asiaeque manus«. Ad sententiam cf. Ov. ep. VIII 73. XV 339. Metam. XII 5 sqq.[3]). Propertii verba II 3, 37 aperte imitatur Ovidius a. a. II 253: »Aut Helene, quam non stulte, Menelae, reposcis, Tu quoque non stulte, Troice raptor, habes«.

Haec hactenus de Helena; sequatur Telephi fabula, quae

---

[1]) Corruptam puto cum aliis voc. »decreto« positum pro ignominioso decreto. Heynius voluit »sine dedecore«, Baehrensius (Misc. crit. p. 95) »sine iactura«.

[2]) Ov. Metam. VI 458 ex imitatione ni fallor: »Digna quidem facies, sed« e. q. s. [»Digna sed haec« Baehrensius in edit. et v. sq. »Vel Priamus«].

[3]) Sententia eadem est Hor. sat. I 3, 187, ubi in lascivius vertitur: »Nam fuit ante Helenam cunnus taeterrima belli causa« et Priap. 68, 9.

in Cypriis post priorem Aulida adventum narrata erat. In expeditione enim illa, quam in Mysiam susceperunt Graeci, Telephus ab Achille vulneratus est posteaque oraculi iussu ab eodem est sanatus[1]). Ac posteriores auctores eiusdem, quae vulnus adflixerat, hastae aerugine eum sanatum esse credebant, Alexandrini autem de amore sanando adhibebant: Propertius II 1, 63

Mysus et Haemonii iuvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem,

eumque imitatus Ov. am. II 9, 7: »Quid, non Haemonii quem cuspide perculit heros, Confossum medica postmodo iuvit ope?«[2]), trist. V 2, 15: »Telephus aeterna consumptus tabe perisset, Si non quae nocuit dextra tulisset opem«, Metam. XII 112: »Opusque meae bis sensit Telephus hastae«, rem. a. 47: »Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit«, trist. I 1, 99, ex Pont. II 2, 26. Ovidium in mente videtur habere Senec. Troadd. 227: »Fortemque eandem sensit et mitem manum«. Cf. praeterea Anthol. Lat. 184 R.: »Unde datum est vulnus, contigit inde salus» et 234, 29 R., ubi Ovidianam imitationem deprehendere mihi videor: »Pelias hasta fuit, vulnus grave quae dedit hosti, Hoc quae sanavit Pelias hasta fuit«. Ex Graecis cf. Quint. Smyrn. Posthom. IV 175: »εὖτέ ἑ μοχθίζοντα κακῷ περὶ ἕλκει θυμὸν ἠκέσατ' ἐγχείῃ, τῇ μιν βάλε δηριόωντα« et imprimis Paul. Silent. (Anth. Pal. V 291): »Τήλεφον ὁ τρώσας καὶ ἀκέσατο, μὴ σύγε, κούρη, εἰς ἐμὲ δυσμενέων γένεο πικροτέρη« et Macedon. (Anth. Pal. V 225): »Τήλεφός εἰμι, κόρη, σὺ δὲ γένεο πιστὸς Ἀχιλλεύς. κάλλει σῷ παῦσον τὸν πόθον ὡς ἔβαλες«[3]). Ad amorem trahunt etiam Lucian. Nigrin. 38 et Charito VI 3. Quae quidem testimonia omnia quam arte inter se cohaereant, nemo non videt, ut, cum intimus sententiae fons sint oraculi verba (»ὁ τρώσας ἀκέσεται«), non dubium possit esse, quin nobilis poeta Alexandrinus viam posterioribus demonstraverit. Et paratum esset de Philetae Telepho suspicari[4]), nisi ex analogia satis constaret, inscriptum fuisse illud carmen patris poetae nomine neque quicquam de argumento eius inde debere concludi[5]).

---

1) De fabula cf. O. Iahn Telephus und Troilus. Kiel 1841. Preller Gr. Mythol. II^3 p. 418.

2) »Medicam opem« hastam intellego, non, ut faciunt multi, herbas medicas. Neglegentius paullo dictum est, sed id ipsum prorsus est ex more Ovidiano.

3) Collatis inter se Paulo Sil. et Macedonico patet, quam falsa sit Hertzbergii opinio, Propertium a Paulo Sil. esse expressum.

4) Est haec sententia Ungeri Anal. Prop. et Philet. p. 91. et C. Peiperi Quaest. Prop.

5) cf. Rohde d. gr. Rom. p. 74 adn. 3.

Itaque de Callimacho Pauli Silentiarii et Macedonici memores rectius cogitabimus.

Argynni ab Agamemnone amati et Iphigeniae immolatae historia apud Prop. IV 6, 21

Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
  Quae notat Argynni poena, minantis aquae.
Hic iuvene amisso classem non solvit Atrides,
  Pro qua mactata est Iphigenia mora,

vera omnium interpretum et criticorum extitit crux. Atque ut incipiam a Webero, qui nuper de hoc loco egit (Quaest. Prop. p. 20 sqq.), is aliis partim praecedentibus ita desperavit, ut ab ipso Propertio narrationem profectam esse negaret. In quo satis mirari non possum, quod qui ante se curam et operam huic loco restituendo et interpretando impenderint, ne novisse quidem videtur. Quos si inspexisset, Schneidewinum (Philol. I p. 376 sqq.) et Ungerum (Sinis p. 120 sqq.), aliter paullo quin sensurus fuerit non dubito. Omnia enim quae de duro et frigido narrandi colore, de insolita expositione, de sententiarum nexu interrupto contendit, aut falsa sunt aut levis momenti. Neque inde interpolationis argumentum sumi debet, quod alter versus est corruptus neque adhuc sanatus (nam Hertzbergii „Athamantiadae" non nimis confido[1])), neque inde, quod a vulgari fabula, quam etiam Callimachus habet (hymn. in Dianam 228. 263), Propertius descivit. Eadem enim sic oritur quaestio, unde interpolator fabulam hauserit. Denique non plus valet gravissimum Weberi argumentum, Argynnum non in mari esse submersum, id quod Propertius velit, sed in Cephisso flumine (Athen. XIII p. 603 d: »Ἀγαμέμνονά τε Ἀργύννου ἐρασθῆναι λόγος ἰδόντα ἐπὶ τῷ Κηφισσῷ νηχόμενον, ἐν ᾧ καὶ τελευτήσαντα αὐτὸν (συνεχῶς γὰρ ἐν τῷ ποτάμῳ τούτῳ ἀπελούετο) θάψας εἴσατο καὶ ἱερὸν αὐτόθι Ἀφροδίτης Ἀργυννίδος«. Clem. Alex. p. 24 B.: »Φανοκλῆς δὲ ἐν Ἔρωσιν ἢ Καλοῖς Ἀγαμέμνονα τὸν Ἑλλήνων βασιλέα Ἀργύννου νεὼν Ἀφροδίτης εἴσασθαι ἐπ' Ἀργύννῳ τῷ ἐρωμένῳ«. Steph. Byz. s. v. Ἄργυννος. Plut. Gryll. 7). Sed enim aliter accipienda esse Propertii verba et Schneidewinus sensit et Ungerus, hic tamen doctius me iudice et spinosius quam verius antiquis temporibus Cephissum flumen in mare exiisse perhiberi idque Propertii esse mentem docens. Rectius multo progressus est Schneidewinus, cum de Cephisso flumine omnino non cogitandum esse moneret. At ne hic quidem ita, ut omne punctum ferret, rem suam egit. Cum enim Argynni poenam (die Sühne für, wegen des Argynnus) de templo Veneris Argynnidos interpretaretur, non satis reputavit, secundum Phanoclem, ex quo loci modo laudati omnes

[1]) Novissimum est Baehrensii (in edit.): »Qua notat Argynnus poenam *inhiantis aquae*«.

fluxerunt, in Cephissi ripa templum esse constitutum, discrepare autem Propertii verba »sunt littora testantia, quae notat Argynni poena«. Itaque equidem, ad vulgarem voc. »poena« notionem etiam propius accedens poenam Argynni non templum illud intellego sed ipsam Iphigeniam mactatam, ut haec evadat Propertii sententia: Littora Aulidensia Agamemnonis curarum sunt testes, quae littora notat Argynni aqua submersi (latet hoc fortasse in verbis corruptis »minantis aquae«) poena [1]), scil. Iphigenia ob moram, quae Argynno amisso Agamemnonem retinuit, ventis adversis exortis mactata [2]). Iam vides aptius etiam quam in Schneidewini explicatione omnia inter se cohaerere, neque quicquam esse causae, cur alterum distichon cum Iacobsio, Lindnero, Heimreichio abiudicemus Propertio et corrumpamus potius sententiam quam emendemus. Simul autem apparet, cum Phanoclis narratione Propertium praeter Argynni interitum nihil habere commune. Neque id novum aut mea demum interpretatione illatum. Phanocles enim si auctoribus illis credimus, sicut credendum est, de Iphigeniae immolatione nihil addiderat. Quare Propertio quis fuerit auctor fabulae aliunde ignotae, in obscuro latet, veri tamen mihi videtur simile Callimachum sive in aetiis, in quae argumento bene quadrat, sive in ea, quam supra (p. 6) indagare mihi visus sum elegia, fabulam tractavisse.

Ea, quae de ipsa Iphigeniae mactatione refert Propertius V 1, 109

Exemplum grave erit Calchas, namque Aulide solvit
  Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
  Tinxit et Atrides vela cruenta dedit,

non concinere videntur cum fama vulgari, quam tangit idem Prop. IV 22, 34

  Nec solvit Danaas subdita cerva rates,

sed idem secundum tragicos (Aeschyl. Agam. 225. Sophocl. Electr. 573. cf. Welcker Gr. Tr. p. 107. sqq.) [3]) exhibent Lucretius I 78 sqq.: »Aulide quo pacto Triviai virginis oram Iphianasseo turparunt sanguine foede Ductores Danaum delecti« et Verg. Aen. II 116: »Sanguine placastis ventos et virgine caesa, Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras«, quem imi-

---

[1]) Eadem voc. poena significatio est apud Prop. I 13, 9: »Haec erit illorum contempti poena doloris, Multarum miseras exiget una vices« et II 8b, 37: »At postquam sera captiva est reddita poena.«

[2]) Sed Schneidewini suspicio, pulchra sane illa et ingeniosa, Venerem ob Argynni amorem Agamemnoni iratam civisse tempestatem eique placandae Iphigeniam esse sacrificatam, num vera sit valde dubito. Sententiae enim vicinae eo ducunt, ut non Veneri sed diis marinis scil. ob Argynni mortem iratis mactatam eam a Propertio dici credam.

[3]) cf. Senec. Troad. 257.

tatur Ovidius ceterum vulgarem rei narrationem persecutus Metam. XII 27 sqq. (cf. v. 28: »Sangine virgineo placandam virginis iram«). At cum Prop. cf. v. 34: »Supposita fertur mutasse Mycenida cerva« et trist. IV 4, 67: »Hic pro supposita virgo Pelopeia cerva« et de re Hyg. f. 98 p. 92 ed. Schmidt. Hor. sat. II 3, 199 sqq. Nonn. Dion. XIII 106.

Admodum nobilis post Euripidis tragoediam fuit apud poetas Alexandrinos fabula, quae est de Protesilao primo Graecorum ad litus Troicum de nave desiliente, qui ab Hectore interfectus ex Orco ad uxorem nuper in matrimonium ductam rediit, de qua fabula cf. praeter Preller. Gr. Myth. II³ p. 421 Kiesslingium (Anal. Catull. 1877) et Baehrensium (in Fleckeisenii annall. philol. 1877 p. 409 sqq.). Ac poetam aliquem Alexandrinum excoluisse fabulam, cum Propertius arguit his narrans verbis I 19, 7

Illic Phylacides iocundae coniugis heros
    Non potuit caecis immemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
    Thessalis antiquam venerat umbra domum,

tum Catullus (c. 68) Ovidius (epist. XIII) Laevius (de cuius Protesilaudamia cf. Luc. Mueller in edit. Catull. p. 81 sq.). Etiam Lucianum ex eodem fonte derivasse puto dialogum mort. 23. Callimachum autem esse illum poetam non sine veritatis specie coniecit Baehrens. l. l. p. 412. Recte idem Baehrensius statuit de seriore fabulae forma, qua ipsa Laodamia coniugem ex inferis excivit (Hygin. fab. 103 sq. p. 95. Auson. id. V 65. Serv. ad Verg. Aen. VI 447). Propertio verbis non absimilis est Stat. silv. V 3, 273: »Si lux una retro Phylaceida rettulit umbram«. Ovidius tamen eo differt a Propertio, quod potius magnum Laodamiae amorem, quo etiam ad inferos virum sit secuta, celebrandum sibi sumpsit (cf. trist. V 5, 57. V 14, 39. a. a. II 356. rem. a. 724. ex Pont. III 1, 109: »Si comes extincti manes sequerere mariti, Esset dux facti Laodamia tui«, a. a. III 17: »Respice Phylaciden et quae comes isse marito Fertur et ante annos occubuisse suos«, am. II 18, 38 (trist. I 6, 20): »Et comes extincto Laodamia viro«), cui praeivisse in verbis Vergilium Aen. VI, 447: »hic Laodamia It comes« videtur fugisse Baehrensium [1]).

---

[1]) Cultum Laodamiae describit Ov. a. a. III 138: »Longa probat facies capitis discrimina puri Sic erat ornatis Laodamia comis«, et, ni fallor, a. a. III 783: »Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylaceia mater, Solvere et effusis colla reflecte comis«, quocum insigniter nec profecto sine exemplo facit Nonnus Dion. XXIV 191:

»ἣ μὲν ἑὸν στενάχιζεν ἀδέλφεον, ἣ δὲ τοκῆα
ἄλλη ποικιλόδακρυς ἀνεστεναχίζετο νύμφη.
νυμφίον ἀρτιχόρευτον ἐοικότα Πρωτεσιλάῳ
ἄλλη Λαοδάμεια, νεοζεύκτοιο δὲ νύμφης
ἄπλοκος ἀκρήδεμνος ἐτίλλετο βότους ἐθείρης«.

Perventum est ad Iliada, ex qua multa sumpsisse Propertium etiam in rebus fabulosis frequenti Homeri lectione iam a puero imbutum consentaneum est. Observamus autem poetas elegiacos non ubique sequi Homeri auctoritatem, sed saepe auctoribus Alexandrinis oboedientes aut immutare res aut nova proferre. Et primum argumenta quaedam Iliadis indicat Propertius IV 1,25

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces
  Fluminaque Haemonio comminus isse viro
Idaeum Simoenta Iovis cum prole Scamandro,
  Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis
  Qualemcumque Parin vix sua nosset humus,

ubi quod narrat de Achillis cum Simoente et Scamandro, quem ex coniectura G. Wolffii restituit Hauptius (cf. opusc. II p. 52 sqq.) pugna desumptum est ex Hom. Il. XXI 213 sqq. [1]), unde etiam Catull. 64, 356 [2]): »Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri« e. q. s. et Verg. Aen. V 806 et Stat. Achill. I 86 al. [3]) rem hauserunt.

Initium deinde Iliadis in animo habet Propertius V 6, 33

  Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu
Egessitque avidis Dorica castra rogis

et IV 17, 29

Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
  Atridae magno cum stetit alter amor,

quo loco qui prior opponatur amor alteri Chryseidos diu dubitatum est a viris doctis, donec Schneidewinus (Philol. I p. 583) et Ungerus in Sinide docuerunt Argynnum esse subintellegendum. Id quod etiam Propertii verba videntur confirmare: nam et prior amor »magno stetit« Atridae.

Notabilis est Propertii de Achille irato narratio II 8b, 29

Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
  Cessare in thecis pertulit arma sua.
Viderat ille fuga stratos in littore Achivos,
  Fervere et Hectorea Dorica castra face [4]),
Viderat informem multa Patroclon arena
  Porrectum et multa caede iacere comas,
Omnia formosam propter Briseida passus:
  Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
  Fortem ille [5]) Haemoniis Hectora traxit equis.

---

1) Iovis filius vocatur Scamander sive Xanthus Hom. Il. XIV 434. XXI 2. Διοτρεφής appellatur XXI 223

2) vel potius eius auctor Alexandrinus, quisquis ille fuit.

3) cf. etiam Philostr. im. I 1.

4) Hom. Il. XV 592. 704. Ov. ex Pont. IV 7, 41.

5) Ita legendum censeo cum Kootenio propter v. 29 et 31 pro eo quod est in codd. »illum«. Luc. Mueller scripsit »idem«. [V. antec. Baehrens. e codd. exhibuit: »At postquam sacra« e. q. s.].

Etenim cum compluria hic insint, quae Homeri lectionem prodant, velut Achillis desidia, navium incendium, Patroclis mors, summam tamen narrationis ita invertit Propertius vel potius is, quem sequitur (Callimachus? cf. O Schneider Callim. II p. 76), ut, cum apud Homerum Patroclum interfectum ulturus in amicitiam cum Agamemnone redeat Achilles et in pugnam procedat, Briseida redditam neglegat (Il. XIX 140—153, redditur XIX 246), ipse e contrario Briseida restitutam reconciliationis causam fingat, Patrocli autem mortem nihil valuisse in irati animum affirmet. Aptissima profecto rerum permutatio hoc in genere poeseos sed quam alio testimonio confirmare nequeo.

De abducta Briseide haec praeterea habet Propertius III 13, 1

Quid fles abducta gravius Briseide?

Et flentem facit etiam Ov. ep. III 23: »Ipse Menoetiades tum cum tradebar in aurem Quid fles?« e. q. s. Tristitiam notat etiam Homerus (Il. I 348), flentem non facit. Ceterum »abducta Briseis« saepe recurrit apud Ovidium, (cf. am. I 9, 33: »Ardet in abducta Briseide magnus Achilles«, trist. IV 1, 15: »Fertur et abducta Lyrneside tristis Achilles« e. q. s., ep. VIII 85: »Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli Abducta viduum coniuge flere virum«, flet tamen ipse Achilles rem. am. 777: »Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles Illam Pleisthenio gaudia ferre toro«, in quo notanda est diversitas, quae est inter Ovidium et Hom. Il. I 352 sqq.).

Alexandrinum prorsus colorem prae se ferunt, quae lascivius paullo exhibet Propertius III 15, 29

Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
  Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
  Bella Mycenaeae non timuere rates?

Propertium partim expressit Ovidius am. I 9, 35: »Hector ab Andromaches complexibus ibat ad arma et galeam capiti quae daret uxor erat«. De Achille lascivius etiam Ov. a. a. II 711: »Fecit et in capta Lyrneside magnus Achilles Cum premeret mollem lassus ab hoste torum [1]). Illis te tangi manibus, Brisei, sinebas, Imbutae Phrygia quae nece semper erant«, cuius primarius fons fuit fortasse Hom. Il. XXIV 675: Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς εὗδε μυχῷ κλισίης ἐυπήκτου, Τῷ δὲ Βρισηῒς παρελέξατο καλλιπάρῃος [2]).

[1]) Spurium censent versum Luc. Mueller et Rautenberg: de arte composit. in Ov. Am. p. 35. De Andromache cf. Ov. a. a. II 645. III 109. 517. 779. rem. am. 383. Laev. fr. 4 p. 77 Luc. Mueller.

[2]) Non dissimilis est Stat. silv. IV 4, 35:
»Talis cantata Briseide venit Achilles
Acrior et positis erupit in Hectora plectris«.

Propter rei similitudinem subiungere placet Prop. IV 7, 29

Dulcior ignis erat Paridi, cum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit,

quibus expressit poeta ea, quae leguntur Hom. Il. III 380—448, ubi Paris a Venere ex pugna ereptus in thalamo Helenae collocatur ibique cum illa concumbit. Quin etiam verba Homeri videtur respexisse haec: »οὐ γὰρ πώποτε μ' ὧδέ γ' ἔρως φρένας ἀμφεκάλυψεν, ὥς σεο νῦν ἔραμαι καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ«. Paris imbellis et mollis ex Homero (Il. VI 326 sqq.) notus (cf. Prop. IV 1, 29 sqq. Ov. ep. XVI 251 sqq. Hor. c. I 15, 14. Anth. Lat. 295 R).

De Achille praeter iram eius nulla fuit nobilior fabula, quam quod Hectorem ad naves (Hom. Il. XXII 464) et circa Patroclis tumulum (Hom. Il. XXIV 15), seu, ut posteriores malebant, circa urbem traxerat (cf. Eurip. Androm. 107. Verg. Aen. I 483. Ov. Metam. XII 591. Hygin. fab. 106 p. 97 Schm. Quint. Smyrn. I 112. Ov. Ib. 331 [1])). Callimachus in aetiis ter circa Patroclis bustum eum raptum esse rettulit (fr. 466). Alii in universum magis rem narrant, in his Prop. II 8b, 35

Fortem ille Haemoniis Hectora traxit equis,

quem locum imitatur Ov. am. II 1, 32: »Raptus et Haemoniis flebilis Hector equis« (cf. trist. III 11, 28: »Tractus ab Haemonio non erat Hector equo«), et Prop. IV 1, 28

Hectora per campos ter maculasse rotas.

Campum memorant etiam Cul. 322: »Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis Hectoreo victor lustravit corpore Troiam« et Antip. Sidon. (Anth. Pal. VII 2): »Καὶ τὸν Ἀχιλλείοις Φαρσαλίσιν Ἕκτορα πώλοις ὄστεα Δαρδανικῷ δρυπτομένον πεδίῳ«. (De re cf. Ov. trist. IV 3, 29. V 4, 11).

Certe non ab Aethiopide sed ab auctore Alexandrino repetenda est Propertii de Penthesilea ab Achille interfecta atque amata [2]) narratio IV 10, 13

Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Maeotis Danaum Penthesilea rates,
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem
Vicit victorem candida forma virum.

Adeo enim haec congruunt cum Nonn. Dion. XXXV 21:

καί τις ὑπὲρ γαπέδοιο περισκαίρουσα κονίῃ
παρθενικὴ γυμνοῖτο, παρελκομένου δὲ χιτῶνος
ἀγλαΐῃ κεκόρυστο καὶ ἱμείροντα φονῆα
οὔτασεν οὐτηθεῖσα, βέλος δέ οἱ ἔπλετο μορφή,

---

1) Heyne ad Verg. Aen. I exc. 18.

2) Preller Gr. Myth. II³ p. 434. Verg. Aen. I 490 sqq. Ov. a. a. III 1 sqq. Metam. XII 610 sq. de Alexandrinis cf. Rohde gr. Rom. p. 103 not. 2.

καὶ φθιμένη νίκησε· κατ' ἀντιβίοιο δὲ γυμνοὶ
μηροὶ ἐδωρήχθησαν οἰστευτῆρες ἐρώτων.
καί νύ κε νέκρον ἔχων πόθον ἄπνουν, ὥσπερ Ἀχιλλεὺς
ἄλλην Πενθεσίλειαν.

(Iustin. adv. gent. 1 ὑπὸ Ἀμάζονος νεκρᾶς νενίκητο) et cum Quint. Smyrn. Posthom. I 654 sqq. v. 657:

ἀμφὶ δέ οἱ κράτος κόρυν εἵλετο μαρμαίρουσαν.
Τῆς δὲ καὶ ἐν κονίῃσιν καὶ αἵματι πεπτηκυίης
ἐξεφάνη ἐρατῇσιν ὑπ' ὄφρυσι καλὰ πρόσωπα,

ut dubium nequeat esse, quin ad fontem communem redeant, quem Callimachum esse propter Nonnum, constantem Callimachi imitatorem, non temere suspicari mihi videor[1]).

Nec tamen diu Achilles fuit superstes Hectoris: nam, ut ait Prop. IV 17, 27,

Nirea[2]) non facies, non vis exemit Achillem

vel ut Hor. c. II 16, 29: »Abstulit clarum cita mors Achillem«. Iam de mortuo Achille haec Prop. II 9, 9

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
Adpositum flavis in Simoenta vadis,
Foedavitque comas et tanti[3]) corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat nec candida mater
Scyria nec viduo Deidamia toro[4]).

Quae cum neque Homerus (Od. XIX 282 sqq.) neque Arctinus in Aethiopide (cf. Welcker ep. Cycl. II p. 177) narrent, ex exemplari Alexandrino desumpta esse necesse est, id quod bene confirmavit Rohde gr. Rom. p. 103 not. comparato Quint. Smyrn. Posthom. II 552:

Βρισηὶς παράκοιτις ἐυπλοκάμου Ἀχιλῆος
ἀμφὶ νέκυν στροφᾶτο καὶ ἀμφοτέρης παλάμῃσι
δρυπτομένη χρόα καλὸν ἀΰτεεν· ἐκ δ' ἁπαλοῖο

---

[1]) Quod Kuinoelius ex Propertii verbis concludit non interfectam esse Penthesileam ab Achille sed in deliciis habitam, merae sunt nugae.

[2]) Nireus, pulcherrimus Troianorum (Hom. Il. II 671 sqq.), in proverbium abierat (cf. Hor. ep. 15, 22. c. III 20, 15. Ov. a a. II 109. Pont. IV 13, 16. Eurip. Iphig. Aul. 204. Quint. Smyrn. VII 7. Charito 3, 6. Hesych. s. v.).

[3]) Non tango librorum scripturam, etsi molestam propter v. seq. Luc. Mueller coniecit »ad tanti corpus Achilli«, Rossberg. (Lucubr. Prop. p. 13 sq.) »at lauti corpus Achilli«, quod propter ipsum v. 33. falsum videtur mihi esse. [vid. etiam Baehrensii edit.]

[4]) De Deidamiae fabula ab Alex. exculta vid. Rohde gr. Rom. p. 102 not. 2. Welcker gr. Tr. p. 103 not. 3. Ad Prop. verba cf. Ov. am. III 5, 42: »Frigidus in viduo destituere toro«, epist. V 106: »nunc iacet in viduo credulus ille toro«, ubi, ni fallor, imitationem habes Propertii III 14, 6 »tu *nimium credula sola iaces*«.

στήθεος αἱματόεσσα ἀνὰ σμώδιγγες ἀέρθεν
θεινομένης.

Sed ipse Quintus in insequentibus ad Homerum sese accommodavit, de Briseide Achillem ad Simoenta lavante et absentibus parentibus et uxore plangente nihil refert, ut in his Propertius accuratius auctorem suum ceteroquin incertum expressisse putandus sit.

De Achille mortuo cogitavit Propertius etiam IV 6, 68 sic allocutus Thetin:

Et tu materno tacta dolore Theti,

quocum cf. Callim. Hymn. in Apoll. 20: »(οὐδὲ) Θέτις Ἀχιλῆα κινύρετο αἴλινα μήτηρ« et Ov. am. III 9, 1: »mater ploravit Achillem«.

Obscurius multo et intricatius est, quod de Nestore Antilochum filium lugente dicit Prop. III 5, 30

Nestoris est visus post tria saecla cinis[1]).
Cui si longaevae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non aut Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut »o mors, cur mihi sera venis?«

Primum enim »Gallicus« miles qui sit nemini adhuc indagare contigit, et quod Hertzbergius post Beroaldum commendat a Gallo flumine nomen cepisse illum militem et a quopiam poetarum cyclicorum pugnam inter militem inde oriundum et Nestorem commissam esse narratam, insolentius est, quam ut persuadere umquam mihi potuerim. Neque ex coniecturis (quas vid. apud Hertzbergium)[2]) ulla ita comparata est, ut omne punctum ferat. Sed ut mittamus corruptum hoc vocabulum, si certum aliquod periculum in mente habuit Propertius, maiore certe iure quam Hertzbergius intellegemus pugnam cum Paride commissam, ex qua Diomedes eum eripuit (Hom. Il. VIII 80 sqq.), vel etiam quam cum Memnone pugnavit, in qua Antilochus pro patre propugnans cecidit. Possunt tamen verba etiam in universum accipi: Si Nestori miles aliquis ad Troiam vitam minuisset, non postea filium amissum deflesset. De luctu Nestoris cf. Hom. Od. IV 190 sqq. Quint. Smyrn. II 388. III 516 et maxime Hor. c. II 9, 13: »At non ter

---

[1]) De Nestoris aetate cf. Hom. Il. I 247 al. Ov. Metam. XII 188. ex Pont. I 4, 10. II 8, 41. trist. V 5, 62. fast. III 533. Hor. c. II 9, 13 Panegyr. in Messal. 112. etc.

[2]) Baehrens (Miscell. crit. p. 87) quod coniecit non moror, nec percipio quo iure contendat: »neque hic de violenta Nestoris morte per hosticum militem accepta dici potuit secundum sententiarum seriem quae negatam a fatis vitam longam commemorari flagitat«. Ergo invenis mori debuit Nestor? At Iliacis in aggeribus? Non igitur haec tam anxie rimanda, id quod supra iam (p. 10 sq.) exemplis nonnullis allatis ostendi. [Paullulum tamen iudicium suum mutavit Baehrensius in edit., quam vid.]

aevo functus amabilem ploravit omnes Antilochum senex annos«.

Sequantur iam quae de Philoctete a Machaone et de Phoenice a Chirone sanatis extant apud Prop. II 1, 59

Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides.

Philoctetam a Machaone esse sanatum antiqua eademque vulgaris fuit fama (Lesch. in Iliad. parva p. 36 Kink. Orph. Lith. 343. Tzetz. Posthom. 583. Tzetz. ad Lycophr. 911. atque ita Ov. ex Pont. I 3, 5). Alii tamen aliter, Sophocles, qui in Philoct. v. 1333 ab Asclepiadis v. 1437 ab Asclepio, Quint. Smyrn. IX 462, qui a Podalirio eum sanatum vult. Philoctetae historiae non raro apud poetas Alex. fit mentio [1]), Euphorion etiam epico carmine eam cecinerat (Meineke Anal. Al. p. 73 sqq.). Deinde fabulam, quae est de Phoenice caeco a Chirone curato, ignotam Homero (Il. IX 447 sqq.), eodem modo atque Prop. narrant Apollodorus III 13, 8. Lucianus dial. mort. 26 (cf. Welcker gr. Tr. p. 803, qui ad Euripidem eam redire docet) [2]). In caecitatem eius alludit etiam Ov. a. a. I 337: »Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix«.

Tandem duobus lustris peractis equo ligneo Minervae ope ab Epeo exstructo ceperunt Danai Troiam. Et equi quidem Troiani mentio saepius est apud Prop. IV 1, 25

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,

IV 1, 25

Moenia cum Graio Neptunia [3]) pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus,

IV 12, 63

Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum

V 1, 41

Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi.

Neque aliter res se habet apud Verg. Aen. VI 515. II 15. Ov. a. a. I 364: »Tum cum tristis erat defensa

---

[1]) Ov. rem. am. 111. trist. V 1, 61. V 2, 13. V 4, 4. 12. Pont. III 1, 54. Ib. 851. Metam. XIII 45 sqq. 313 sqq.

[2]) »Phillyrides Chiron« est etiam Verg. Georg. III 5, 50.

[3]) A Neptuno et Apolline Troiae moenia fuisse exstructa notum (cf. Hom. Il. VII 452. XXI 443. Callim. fr. 559. fr. anon. 56. Ov. Metam. XI 194 sqq.). Itaque »Neptunia« moenia saepe vocantur (cf. Cat. 64, 367: »Neptunia vincla«. Verg. Aen. V 811. Ov. ep. III 151. Metam. XII 25. 385). Propertius memor fortasse fuit Horatii c. I 16, 18: »et altis urbibus atetere causae, cur perirent Funditus, imprimeretque muris hostile Sratrum exercitus insolens«.

est Ilios armis, militibus gravidum[1]) laeta recepit equum«, qui in animo videtur habuisse etiam Horatium c. IV 6 13: »Ille non inclusus equo Minervae Sacra mentito male ferientes Troas et laetam Priami choreis falleret aulam«.

Iam vero plenum afferre lubet locum partim modo laudatum IV 12, 61

Certa loquor, sed nulla fides, neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis[2]), ille parenti:
Experta est veros irrita lingua deos,

quibuscum apte compones V 1, 51

Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
Dicam: »Troia cades et Troica Roma resurges,
Et maris et terrae longa sepulcra canam.[3])
Vertite equum Danai! male vincitis: Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Juppiter arma dabit«.

Cassandram Troiae fatum vaticinantem Cypriorum auctor produxerat, cum Paris Spartam aveheretur, atque ita Euripides in Alexandro (Welcker gr. Tr. p. 473 sq.), Ennius (fr. 8. 7), Dracontius Rapt. Hel. 134 sqq. Apud Ovidium (epist. V 125 sqq.) Cassandra Oenonae patriae interitum praedicit. Cum Propertio vero ante ipsum casum, cum equus in urbem traheretur, vaticinantem faciunt eam plurimi: Verg. Aen. I 246. Hyg. fab. 108 p. 18 Schm. Quint. Smyrn. XII 525 sqq. Tryphiod. 358 sqq. Tzetz. Posthom. 708 sqq. Non praetereundum videtur mihi Ovidium in Euandri praesagio fast. I 519 sqq.: »Victa tamen vinces eversaque Troia resurges« ad Propertium sese adplicare. cf. etiam Heleni vaticinium Ov. Metam. XV 439 sqq.

Iam de Troia capta, de qua Prop. III 6, 1

---

1) »Gravidum« dicit equum etiam Ennius (fr. 8) et Antiphil. Byz. (Anth. Pal. IX 156).

2) Verissimam hanc scripturam frustra temptavit Baehrensius (Miscell. crit. p. 105), cum »patriae vilis fuit« coniectat. [Etiam in edit. ita exhibuit.] At haec est sententia: Ille furor per se patriae fuit utilis, cui si fidem habuissent Troiani, servati essent. Ita etiam poeta utilem sese praestat patriae haruspicem (v. 60).

3) Huc hoc distichon transposuit Luc. Mueller; sed valde dubito num recte. Nam ne quid dicam de abrupto illo »dicam«, cuius analogia extat nulla, sepulcrorum mentio, quae ad Graecorum interitum referri probe scio, eo minus non placet, quod Cassandra sepulcra illa non canit. Accedit molesta tautologia (»Troica Roma resurges« et »Ilia tellus vivet«). Mihi potius distichon videtur ponendum post v. 70, sepulcra autem eodem modo interpretanda esse atque I 22 3.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumphost,
Cum caderent magnae Laomedontis opes [1]),
insignis Propertii locus est IV 1, 31
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troia bis Oetaei numine capta dei.
Nam bis captam esse Troiam, semel ab Hercule [2]), semel a Philoctete Herculis telis, sententia est inde a Sophocl. Philoct. 1435: »τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς αὐτὴν χρεὼν τόξοις ἁλῶναι« admodum a poetis frequentata. Cf. Ov. Metam. XI 215: »bis periura cepit superatae moenia Troiae«. Ad Sophoclis verba prope accedunt Ov. Metam. IX 229: »At tu Iovis inclita proles— arcum pharetramque capacem regnaque visuras iterum Troiana sagittas« et Valer. Flacc. II 571: »namque bis Herculeis deberi Pergama telis«. Propertium, ni fallor, sequitur Sil. Ital. Pun. I 43: »et bis numine capta Penates«. Cf. praeterea Senec. Troad. 140: »bis pulsari bisque pharetras passa Herculeas«, Agam. 920: »et arcus iterum timendos sensit duce te«. Propertius utrum ex ipso Sophocle sententiam mutuatus sit an ex auctore Alexandrino pro certo diiudicare non ausim, etsi hoc multo magis est veri simile.

Sed ex iis quae ad ipsum Troiae excidium spectant fabulis maxime est memorabilis Cassandra ab Aiace Oiliade a Minervae statua vi abstracta atque stuprata. Ac stupratam eam esse primus [3]), quod scimus, narravit Callimachus in aetiis (fr. 13d. fr. 132) [4]), qui posteriorum poetarum et scriptorum agmen traxit, ex Romanis Propertium V 1, 117
Victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua!
et Dracont. Rapt. Hel. 143, ex Graecis Euphoriona (cf. Meinekius in Anal. Alex. p. 165), Quint. Smyrn. XIII 420: »ἀλλ' οὐ μὴν οὐδ' αὐτὴ εὔφρων τριτογένεια Πάμπαν ἄδακρυς ἔην, ἐπειή ῥά οἱ ἔνδοθι νηοῦ Κασσάνδρην ᾔσχυνεν Οἰλέος ὄβριμος υἱός« e. q. s., Tryphiod. v. 647: »Κασσάνδρην δ' ᾔσχυνεν Οἰλῆος ταχὺς Αἴας, Παλλάδος ἀχράντοιο θεῆς ἐπὶ γοῦνα πεσοῦσαν«, unde huc trahendum

---

1) De divitiis urbis Troiae praeter alios cf. Ov. epist. VIII 14. XV 175. Eurip. Hel. 928. Quint. Smyrn. II 143. X 21.

2) Troiam ab Hercule captam post Hom. Il. V 638 sqq. tractaverunt Callim. (fr. 559) et Camerinus apud Ov. ex Pont. IV 16, 19 (cf. Apollod. II 6, 4. Ov. Metam. XIII 22. Manil. Astron. I 76, 2. Hyg. fab. 89 p. 86 Schm. Sil. Ital. I 513. Quint. Smyrn. I 505).

3) Antiquam fabulae speciem tenent Hygin. fab. 116 p. 101, Verg. Aen. II 403 sqq. eumque imitatus Ov. Metam. XIII 410 sqq.

4) Sed num in eo, quo vult O. Schneider Callim. II p. 77, rerum conexu ab eo posita fuerit fabula, valde equidem dubito. Suum enim habet historia aetion virgines videlicet Locrenses ad scelus piandum certo tempore missas.

putaverim etiam Ov. am. I 7, 17: »Sic, nisi vittatis quod erat Cassandra capillis, Procubuit templo, casta Minerva, tuo«.

Urbe capta praedam et imprimis mulieres et puellas captas duces inter se sortiti sunt, unde Prop. I 19 13

Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris

et III 26, 7

Et quot Troia [1]) tulit et quot Achaia formas
Et Thebe et Priami diruta regna senis.

Neoptolemus flentem abduxit Andromachen, de qua Prop. III 13, 1

Quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha,

cui praeivisse in verbis videri Hom. Il. VI 454: »ὅτε κέν τις Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων δακρυόεσσαν ἄγηται ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας« recte perspexit Knauth (Quaest. Prop. 1878 p. 20). (De Andromache captiva cf. praeterea Eurip. Androm. 91 sqq. Troad. 666 sqq. Verg. Aen. III 295. Ov. ep. VIII 13. Senec. Troad. 57 sqq. Quint. Smyrn. XIV 29. Christodor. descript. stat. Anthol. Pal. II 160).

Polyxenae in Achillis tumulo mactatae paullo obscurius vestigium est apud Prop. III 5, 21

Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri
Quam florent Phthii busta cruenta viri.

Ex poetis Romanis habent fabulam etiam Cat. 64, 361 et Ov. Metam. XIII 441 sqq. cf. Senec. Troad. 1174.

Polydori Priami filii apud Polymestorem Thracum regem nutriti atque ab eo interfecti fabulam, quam copiose secundum Euripidis Hecubae initium narrant Verg. Aen. III 49 sqq. et Ov. Metam. XIII 429 sqq., uno disticho cogit Propertius IV 12, 55

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio,

qui utrum ex ipso Euripide noverit fabulam, an auctori alicui Alexandrino debeat, nescio. Eodem tamen modo adhibita legitur in carmine a Baehrensio edito (Unedirte Latein. Gedichte Lips. 1877 p. 31): »Non Polydorum hospes scaevo necat incitus auro?« [2])

---

[1]) Scribendum puto cum Heinsio: »Et quod Sparta tulit« e. q. s. coll. Ov. ep. XVI 209:

Quid de me poterit Sparte, quid Achaia tota
Quid gentes aliae, quid tua Troia loqui?

Nota enim puellarum Spartanarum pulchritudo, quam ipse laudat Prop. IV 13. Quare minus mihi probatur Rossbergii (Lucubr. Prop., p. 17) »Et quot Creta« e. q. s.

[2]) In alia omnia abeunt Hygin. f. 109. p. 98 Schm. Serv. ad Verg. Aen. III 6. Dict. Cret. II 8, 20. Apud Homerum (Il. XX 407) ab Achille occiditur Polydorus.

Decimo tandem anno Troia redierunt Graeci, ut ait Prop. IV 8, 39

Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces [1])
Et Danaum decimo vere [2]) redisse rates,

nec tamen omnibus domum pervenire fato destinatum erat: namque Minerva propter Aiacis scelus Graecis irata tempestatibus excitatis ad Euboeam classem eorum allisit, et Nauplius occasione data filium amissum ulturus in saxis Caphareis faces extulit, ut totam perderet classem. Ac de Nauplio et saxis Caphareis haec Prop. V 1, 133

Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime et Euboicos respice Troia sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes
Et natat exuviis Graecia pressa suis

et IV 6, 39

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salost

et in universum III 22, 18

Quicumque et venti miserum vexastis Ulixen
Et Danaum Euboico littore mille rates [3]).

Etiam e reliquis poetis Romanis vix ullus est, quin semel mentionem huius calamitatis iniecerit. Mihi, quos cum Propertio conferendos putem, sufficiant hi: Verg. Aen. XI 287: »infanda per orbem Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes, Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae Sidus et Euboicae cautes ultorque Caphareus«, Ov. Metam. XIV 470: »Spargimur et ventis inimica per aequora rapti, Fulmina noctem, imbres iram caelique marisque Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis, Neve mores referens tristes ex ordine casus, Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri«, Cul. 352: »Inmoriturque super fluctus et saxa

---

1) Phoebi templum erat in arce ei sacra; cf. Hom. Il. IV 507. V 20. V 446. Theogn. 773. Verg. Georg. III 36.

2) Vere captam esse Troiam vulgaris fuit fama: cf. Aesch. Agam. 826: »πήδημ' ὀρούσας ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν«. Sophocl. Phil. 1312: »ὡς ἐστ' ἀνάγκη τοῦ παρεστῶτος θέρους Τροίαν ἁλῶναι«. Eurip. Hecub. 842. Ttetz. Posthom. 770. Clem. Alex. Strom. I p. 381. Fons primarius fuit Ilias parva cf. Ttetz. ad Lycophr. 344 et schol. Eurip. Hec. 892: »Καλλισθένης ἐν δευτέρῳ τῶν Ἑλληνικῶν οὕτω. γράφει Ἑάλω δ' ἡ Τροία Θαργηλιῶνος μηνὸς ὡς μέν τινες ἱστορικῶν ὀγδόῃ ἱσταμένου, ὡς δὲ ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκὼς ὀγδόῃ φθίνοντος« e. q. s. Vestigium eiusdem famae latere puto apud Hor. c. I 15, 35: »Post certas hiemes uret Achaicus Ignis Pergameas domus«.

3) In eiusdem carminis v. 21 »Illa meis tantum non umquam desit ocellis Incendat navem Iuppiter ipse licet«, cur de Minerva Iovis fulmine Aiacis navem perdente cogitare maluerint interpretes, quam multo simplicius de ipso Iove navem incendente, equidem non capio. cf. Prop. II 7, 3: »Quamvis diducere amantes Non queat invitos Iuppiter ipse duos«, Soph. Philoct. 1171: »οὐδ' εἴ πυρφόρος ἀστεροπήτης βροντᾶς αὐγαῖς μ' εἶσι φλογίζων«.

Capharei Euboicas et per cautes Heraeaque late Littora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae Fluctuat omnis in aequoreo iam naufraga tractu«, Stat. Ach. I 92: »Cum reduces Danai nocturnaque signa Caphareus Exeret et dirum pariter quaeremus Ulixem«. Sed summi momenti ad Prop. aestimandum duo mihi videntur esse Anthol. Graecae epigrammata, alterum Bassi Anth. Pal. IX 289:

Οὐλόμενοι νήεσσι Καφηρίδες, αἵ ποτε νόστον
ὠλέσαθ' Ἑλλήνων καὶ στόλον Ἰλιόθεν,
πυρσὸς ὅτε ψευστὰς χθονίης δνοφερώτερα νυκτὸς
ἧψε σέλα, τυφλὴ δ' ἔδραμε πᾶσα τρόπις
χοιράδας ἐς πέτρας, Δαναοῖς πάλιν Ἴλιος ἄλλη
ἔπλετο καὶ δεκέτους ἐχθροτέρη πολέμου.
Καὶ τὴν μὲν τότ' ἔπερσαν· ἀνίκητος δὲ Καφηρεύς,
Ναύπλιε· σοὶ γὰρ πᾶν Ἑλλὰς ἔκλαυσε δάκρυ,

alterum Crinagorae Anth. Pal. IX 429:

Τὸν σκόπον Εὐβοίης ἁλικύμονος ἧσεν Ἀρίστων
Ναύπλιον· ἐκ μολπῆς δ' ὁ θρασὺς ἐφλεγόμην.
Ὁ ψεύστης δ' ὑπὸ νύκτα Καφηρείης ἀπὸ πέτρης
πυρσὸς ἐμὴν μετέβη δύσμορος ἐς κραδίην.

Quorum cum Propertio similitudo tanta est, ut communis aliquis fons, quem et Propertius et Graeci illi poetae pariter in animo habuerint, necessario subesse mihi videatur. Et parata esset suspicio Callimachum esse, quem Aiacis interitum in aetiis tractavisse scimus (fr. 13d), cum praesertim ipse Propertius primo quem laudavi loco Aiacis scelus adiciat. Sed si fidem habemus scholiastae, cui Callimachi fragmentum debemus, de Nauplio nihil illo loco legebatur. Itaque, nisi fallor, maiore iure cogitabimus de Philetae Mercurio, e quo Parthenius narrat. fab. 2: »Ὀδυσσεὺς ἀλώμενος περὶ Σικελίαν καὶ τὴν Τυρρηνῶν καὶ τὴν Σικελῶν θάλασσαν ἀφίκετο πρὸς Αἴολον καὶ Μελιγούνιδα νῆσον, ὃς αὐτὸν κατὰ κλέος σοφίας τεθηπὼς ἐν πολλῇ φροντίδι εἶχεν· τὰ περὶ Τροίας ἅλωσιν καὶ ὃν τρόπον αὐτοῖς ἐσκεδάσθησαν αἱ νῆες κομιζομένοις ἀπὸ τῆς Ἰλίου διεπυνθάνετο«.

Certius atque confidentius iudicare audeo de Demophontis et Phyllidis amoribus, qui primum ab Alexandrinis poetice tractati videntur esse. Ipsam rem Servius ad Verg. Ecl. V 5, 10 et Hygin. fab. 59 p. 60 Schm. hunc fere in modum narrant. Demophon Thesei filius Troia rediens a Phyllide Thracum regina amatus est. Qui cum in patriam rediret, ordinatis suis rebus ad eam se rediturum esse promisit. Profectus autem cum tardaret, Phyllis, quod se spretam esse putavit, die constituto novies ad litus cucurrisse dicitur, quod ex eo ἐννέα ὁδοὶ Graece appellatur, et laqueo vitam finivit. Arbores autem, quae in sepulchro eius natae sunt, certis temporibus

folia emittunt atque arescunt. (cf. etiam Mythogr. Vat. I 159. Iustin. II 6, 15. Pallad. de insit. 61, 27, 149. Ttetz. ad Lycophr. 459, qui Acamanta fratrem ponit pro Demophonte eodem modo atque Lucian. de salt. 40)[1]). Propertius etsi paucis tantum verbis ad hanc fabulam alludit III 19, 27

Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus,

tamen quam artum intercedat vinculum inter eum et ceteros poetas, manifestum est. Ita enim Ovidius ep. II, quae tota in hac fabula versatur, v. 1: »Hospita Demophoon tua Rhodopeia Phyllis Ultra promissum tempus abesse queror«, v. 147: »Phyllida Demophoon leto dedit hospes amantem«, a. a. II 353: »Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit« e. q. s., rem. a. 597, ubi item totam narrat,: »Perfide Demophoon surdas clamabat ad undas«, Culicis auctor v. 130: »Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit Perfidia lamenta doli male provida Phyllis. Perfide Demophoon et non deflende puellis«, Cometa chartul. (Anth. Pal. V 265): »Ὄμματα Φυλλὶς ἔπεμπε κατὰ πλόον, ὅρκος ἀλήτης Πλάζετο. Δημοφόων δ'ἦεν ἄπιστος ἀνήρ«.

Haec si perlustramus testimonia, tantus eorum est consensus, ut, cum ipsum argumentum prorsus sit Alexandrinum unus poeta posterioribus viam aperuisse putandus sit. Nec fallit suspicio. Etenim Callimachi fr. 505: »Νύμφιε Δημοφόων, ἄδικε ξένε« ea est cum his similitudo, ut eam ipsam ob causam hunc communem omnium archetypum dicere non dubitarem, etiamsi non accederent argumenta aetiologica, novem viae (Ov. rem. a. 55. 600. a. a. III 37. Coluth. rapt. Hel. 209 sqq.) et silvarum comae depositae (Ov. rem. am. 606. a. a. III 38). Quae si vera est coniectura, ut esse videtur, non obiter atque in transcursu narravit Callimachus historiam, quae est sententia O. Schneideri (Callim. II p. 660), sed plenam et longiore ambitu. Ceterum Thesei et Demophontis perfidiam componit praeter Propertium Ov. ep. II 75 sqq. a. a. III 459.

Quae praeterea ad Graecorum Troia reditum adiunctae sunt fabulae, tragoediis omnibus fuere notae, et ad tragoedias referendam puto praeter Hermionen[2]), cuius nomen est apud

---

1) vid. Rohde gr. Rom. p. 33 not.

2) Fabulam de Hermione et Neoptolemo etiam seriores hi poetae post tragicos excoluerunt (Welcker gr. Tr. 319 sqq.) cf. Ov. ep. VIII a. a. II 699. rem. am. 771. ex Pont. II 11, 15. trist. II 399. Verg. Aen. III 297. Anthol. Pal. V 15. Quint. Smyrn. VI 88. Ad Propertii dictionem cf. *Eurip.* Androm. 889: »ἡ Σπαρτιάτης Ἑρμιόνη«.

Prop. I 4, 6: »Et tu Spartanae referas laudibus Hermionae«, Clytaemnestrae et Agamemnonis mentionem IV 18, 19

Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus

et V 7, 57 de Orco

Unda Clytaemnestrae stuprum vehit altera.

De tragoedia dicit etiam Ov. trist. II 395: »Qui legis Electram et egentem mentis Orestem, Aegisthi crimen Tyndaridosque legis«, et in eadem atque Propertius sententia ponit a. a. I 333: »Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis, Coniugis Atrides victima dira fuit« (cf. Ov. a. a. II 399. rem a. 161). Aperta res est Prop. III 6, 5

Nec sic Electra (scil. gavisa est), salvum cum adspexit Orestem,
Cuius falsa tenens fleverat ossa soror.

His enim verbis Sophoclis narrationem comprehendit poeta Electr. v. 1088—1223, cum Aeschylus Coeph. 212 sqq. et Euripides Electr. 567 sqq. aliter rem instituant [1]).

Quod de Iliade demonstravi, alia sumpsisse Propertium ex Homero, alia ab auctoribus Alexandrinis esse derivanda, idem tenendum est etiam in Odyssea, in qua quid Philetae Mercurio, ubi praeter Polymelae historiam et alias Ulixis fabulas esse relatas et alii coniecerunt et Rohdius (gr. Rom. p. 74), debeatur, nos iam eruere non possumus. Ac primum eodem fere modo atque Iliadis sed copiosius totius Odysseae argumentum confecit IV 11, 23

Postumus alter erit miranda coniuge Ulixes:
Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum et Ciconum mors, [2]) Ismara capta,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae [3]),
Et Circae fraudes [4]) lotosque herbaeque tenaces [5]),
Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas [6]),
Lampeties Ithacis veribus mugisse iuvencas [7])
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie),
Et thalamum Aeeae flentis fugisse puellae [8]),

---

1) Similis est Hyg. fab. 119 p. 103, qui tamen in singulis a Sophocle recedit. Est fortasse argumentum posterioris alicuius tragoediae.

2) Ita legendum persuasit Rossberg. Lucubr. Prop. p. 33; de re cf. Hom. Od. IX 39 sqq.

3) Hom. Od. IX 377 sqq. Theocr. id. XVI 53. Ov. Metam. XIV 174 sqq.

4) Hom. Od. X 133 sqq.

5) Hom. Od. IX 82 sqq. Ov. rem. am. 789. trist. IV 1, 31.

6) Hom. Od. XII 85 sqq.

7) Hom. Od. XII 127 sqq. 352 sqq.

8) Aeeam, Circes insulam (Hom. Od. III 32. XII 268 al.), ad Calypso esse translatam eodem modo atque apud Hygin. fab. 125 p. 109 et Pomp. Melam I 7 apertum est.

Totque hiemis noctes totque natasse dies [1]),
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum [2]),
Sirenum surdo remige adisse lacus [3]),
Et veteres arcus leto renovasse procorum [4])
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Aelia Galla fidem.

Repetendus est hic usus breviter comprehendendi fabulas ex ipsius Odysseae lib. XXIII v. 310—343. Sed quod ab eos quo in Odyssea res sese excipiunt, ordine in enumerandis Ulixis laboribus recessit Propertius, non inconsulto fecit. Idem enim etiam apud alios poetas eadem in re observamus, velut apud Eurip. Troad. 433 sqq. Ovid. ex Pont. IV 10, 9, Cul. 328 sqq. Claudian. laus Seren. 20 sqq. [5]). Contra Tibullus Panegyr. in Messalam v. 54 sqq. Odysseae ordinem servat.

Quae praeterea ex Homeri memoria videtur dixisse Propertius, haec fere sunt: IV 6, 41

Paullatim socium iacturam flevit Ulixes
In mare cui soliti non valuere doli [6])

III 22, 27

Quicumque et venti miserum vexastis Ulixen,

III 31, 32

Nec non Ismario [7]) tu, Polypheme, mero,

III 6, 3

Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
Cum tetigit carae littora Dulichiae [8]).

In proverbium fere abierant Circe, de qua Prop. II 1, 53

Seu mihi Circaeo pereundum est gramine

et Alcinoi munera et pomaria (Prop. I 15, 23

Quae, mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere,

IV 2, 11:

Non mea Phaeacas aequant pomaria silvas [9]),

quocum cf. de muneribus Hom Od. XIII 10 sqq. Ov. ex Pont. II.

---

1) Hom. Od. V 388 (?) XII 447.

2) Hom. Od. XI 12 sqq.

3) Hom. Od. XII 37. 134. Ov. rem. am. 780. a. a. III 311.

4) Hom. Od. XXI 359 sqq.

5) v. 22: »surdoque carina Remige Sirenum cantus transvecta« num e Propertio sunt desumpta?

6) Baehrens (Miscell. crit p. 103) sine causa coniecit [et in edit. scripsit]: Palantum socium — In mari cui solum.

7) Hom. Od. IX 197 sqq.

8) Hom. Od. XIII 250 sq.

9) Weberus (Quaest. Prop. thes. 2) cur spurium censeat hunc versum, nescio.

9, 42, de pomariis Hom. Od. VII 112 sqq. Verg. Georg. II 86. Ov. am. I 10, 56. ex Pont. IV 2, 11. Stat. silv. I 3, 81. Priap. 60. Mart. epigr. X 94. Iuven. sat. V 151) et Irus mendicus, quem Croeso opponit Prop. IV 4, 17

Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro

et Ov. trist. III 7, 42: »Irus et est subito, qui modo Croesus erat« (cf. de Iro Hom. Od. XVIII 1 sqq. Ov. ep. I 95. Anthol. Pal. VII 676. XI 209. 320 al.).

At vero quibus Calypsus et Ulixis amores bis persequitur Propertius, uberius semel I 15, 9

At non sic Ithaci digressu mota Calypso:
Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomptis maesta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo,
Et quamvis numquam post haec visura dolebat,
Illa tamen longae conscia laetitiae,

semel brevius III 14, 13

Sic a Dulichio iuvene[1]) est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum,

ea ipso narrationis colore auctorem aliquem Alexandrinum produnt[2]), Philetam suspicor, qui similiter Polymelen ab Ulixe relictam flentem finxerat: nam Callimachus etsi fr. 524: »ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς Γαῦδον« memorat, non videtur haec tractasse (cf. O. Schneideri adnot. ad. fr. laud.). Etiam Ovidius, qui am. II 17, 15 et ex Pont. IV 10, 13 Homerum sequitur, ea quae a. a. I 123 sqq. narrat, ex Alexandrino poeta videtur transtulisse. Simillima denique est Ovidii de Circe Ulixem retinente et plorante narratio rem. am. 263 sqq.

Sed femina nulla apud antiquos magis fuit celebrata quam Penelope »bis denos« annos coniugi fidem incorruptam servans. Itaque etiam Propertius frequens est in laudibus eius: II 6, 23

Felix Admetae[3]) coniunx et lectus Ulixis,

IV 12, 24

Nec fida Euadne, nec pia Penelope,

IV 12, 10

Quaeque gerunt fastus, Icarioti[4]), tuos,

---

1) Mirum hoc epitheton, pro quo Heimreich. (Quaest. Prop. p. 13) coniecit »diva«, Rossberg. (Lucubr. Prop. 33) melius »nivea«.

2) cf. Rohde gr. Rom. p. 103.

3) Alcestin eadem ratione adhibent Ov. trist. V 14,37. ex Pont. IV 76, 6. a. a. III 19. Cul. 262. Anth. Pal. VII 691 al.

4) Icariotis vocatur etiam Ov. ex Pont III 1, 113. Cat. 263. (cf. Haupt opusc. III p. 513 sqq.) Ad sententiam cf. Hor. c. III 10, 11: »Non te Penelopen difficilem procis Tyrrhenus genuit pater«.

V 5, 7

Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lascivo cogeret Antinoo [1]),

denique non Homerum tantum, puto, secutus II 9, 3

Penelope poterat bis denos salva per annos [2])
Vivere, tam multis femina digna [3]) procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerva
Nocturno solvens texta diurna dolo,
Visura et quamvis numquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.

Etiam Ovidius primam suam epistulam, cuius ultima verba v. 115: »Certe ego quae fueram te discedente puella, Protinus ut venias facta videbor anus«, egregie cum Propertio concinunt, num ex Homero tantum composuerit dubito. Propertii verba Ovidius et alibi in memoriam revocat velut am. III 4, 23: »Penelope mansit, quamvis custode carebat, Inter tot iuvenes intemerata procos« [4]), a. a. III 15: »Est pia Penelope lustris errante duobus [5]) Et totidem lustris bella gerente viro«, am. III 9, 29: »Durat opus vatum Troiani fama laboris, Tardaque nocturno tela retexta dolo« [6]). Sed iam satis dictum sit de Penelope, de qua quae apud alios extant testimonia, adhibere, ut in re nota, nihil attinet. Satis enim puto apparuisse, quantopere et hic poetarum elegiacorum usus sit inter se constans.

Pari ferme honore atque Homeri Ilias et Odyssea fruebatur apud antiquos carmen epicum, cui nomen erat

II. Thebais,

cuius fabulas et quas postea affinxerunt Propertio duce iam conabor percensere. Primum igitur ubi carmina epica recusant poetae lyrici eius aetatis, Thebaida non solent omittere (nam studiose »Thebas et tristia fratrum arma« cecinisse videntur poetae epici, Ponticus, Lynceus, alii), neque dubium videtur, quin Propertius, quas inde affert res et argumenta, ex primario

---

1) Comparare possis Ov. a. a. I 477: »Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces«.

2) cf. Ov. am. II 1, 31: »Quique tot errando quot bello perdidit annos«.

3) Baehrens (Miscell. crit. p. 86) coniecit »cincta« secutus Guyetum.

4) Imitatur auctor Culicis v. 265: »Ecce Ithaci coniunx semper decus Icariotis Femineum incorrupta decus manet et procul illa Turba ferox iuvenum telis confixa procorum«.

5) cf. Ov. ex Pont. IV 10, 9: »iactatus dubio per duo lustra mari«, IV 16, 14: »errantem saevo per duo lustra mari«.

6) Stat. silv. III 5, 8 Ovidii fortasse memor: »Tu mille procos intacta fugares, Non intersectas commenta retexere telas«, et Claudian. Laus Seren. 31: »Penelope trahat arte procos fallatque furentes, Stamina nocturnae relegens sollertia telae«.

illo fonte hauserit[1]). Nam Antimachum attigisse non videtur. Sunt autem loci, ubi illud agit, hi[2]): I 7, 1

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae

v. 17

Longe castra tibi, longe, miser, agmina septem
Flebis in aeterno surda iacere situ

III 32, 39

Non prosint tibi quadrigae fata Amphiareae,
Aut Capanei magno grata ruina Iovi

IV 8, 37

Non flebo in cineres arcem sedisse paternos[3])
Cadmi, nec septem proelia clade pari.

Eodem prorsus modo rem agunt Ovidius trist. II 317, ubi, quem primum laudavi Propertii locum, in animo habet: »Cur tacui Thebas et mutua vulnera fratrum Et septem portas sub duce quamque suo« (ex Pont. IV 8, 53: »Quis Thebas septemque duces sine carmine nosset« et ex Pont. III 1, 51: »Notior est factus Capaneus a fulminis ictu, notus humo mersis Amphiaraus equis«) et Manil. Astron. III 13. Sed ne hic quidem neglegi debet et sententiis et verbis interdum Graecos Romanis facile potuisse praeire. Ac ducunt huc similitudines, quae sunt inter Prop. I 7, 1 et Anacreont. 16 (26 Bgk.):

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης,
ὁ δ' αὖ Φρυγῶν ἀΰτας,
ἐγὼ δ' ἐμὰς ἁλώσεις,

et Anacr. 1 (23 Bgk.):

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,
θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν,
ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ

et inter Prop. I 7, 17 »longe castra tibi — flebis in aeterno surda iacere situ« et Onestam (Anthol. Pal. IX 250 v. 3): »Κῶφα δέ μοι κεῖται λυροθελγέα λείψανα πύργων«. Nec non formam, quae est »Amphiareus«, Alexandrinis debet, Euphorioni fortasse, qui habet fr. 69 Mein. »Αὐλίς τ' Ὠρωπός τε καὶ Ἀμφιάρεια λοετρά«, etsi hoc magis dubium est quam existimat Luc. Mueller (praef. ed. p. XXXV). Denique nonnulla, velut quae de fratrum mutua caede tradebantur, vel ex Callimacho potuit cognoscere et certe cognovit (cf. O. Schneider Callim II p. 68).

---

1) Homero assignat cum plurimis auctoribus antiquis carmen Propertius I 7, 3. vid. Welcker ep. Cyclus I p. 202.

2) cf. etiam II 8, 10. III 26, 8.

3) »Paternam« recte, ni fallor, Faltin: Zur Properz-Kritik p. 11.

Ex ipsa Thebaide utrum habeat Propertius necne, quod narrat II 9, 49

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces,

incertum est. Idem tamen referunt Stat. Theb. XI 325 sqq. 390 et Seneca Phoeniss. 407. 426. (cf. Hertzbergii adn. ad h. l.)

Et haec quidem dicere habui de epico carmine: ceteras enim fabulas ex hac mythorum serie desumptas omnes Prop. debet Alexandrinis elegiis, primum eam, quam ipse Callimacheam esse testatur III 32, 37

Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
Tristia[1]) ad Archemori funera victor equus.

Narraverat enim in aetiis Callimachus in Archemori sive Opheltis honorem a septem ducibus Nemea ab Hercule instituta esse renovata (O. Schneider Callim. II p. 68), atque in ludis illis primum Ariona Adrasti equum fatidicum vicisse (cf. Stat. Theb. VI 289—592). Obloquitur quidem Rohde (gr. Rom. p. 85 adn.), cum ex Probi (ad Verg. Georg. III 19) verbis: »Inde Nemea instituta sunt. postea Archemori manibus sunt renovata a septem viris, qui Thebas petebant. Sed Molorchi mentio est apud Callimachum« apparere censeat, Herculis tantummodo mentionem fuisse apud Callimachum, non Archemori. At mihi quidem non recte videtur iudicasse vir doctissimus. Restat enim Propertii testimonium, qui aperte hoc loco de Callimachi aetiis loquitur, restant etiam fragmenta, quae ad hanc historiam summa cum probabilitate rettulit O. Schneider l. l. Deinde si premere volumus Probi verba, ne Herculis quidem Nemea instituentis mentio fuit apud Callimachum, id quod cogitari nequit. Itaque, nisi scribendi neglegentiam malumus in Probo agnoscere, ita potius verba eius explicanda fuise putaverim, universam historiam esse notam et aliunde posse cognosci, sed Herculis apud Molorchum hospitium imprimis ex Callimacho. His igitur de causis Propertio fidem habere non dubito. De »vocali« i. e. praesago Arione cf. Stat. Theb. VI 424. Quint. Smyrn. IV 572; aptius Ovidius fast. II 572 Ariona vatem vocat »vocalem«.

Cum Penelope et ceteris magnae fidei mulieribus coniunctam fere videmus Euadnen Capanei uxorem, quae in mariti rogum insiluit et simul cum eo est combusta. Ita igitur Prop. IV 13, 24

Nec fida Euadne nec pia Penelope,

I 15, 22

Coniugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit Argivae fama pudicitiae,

---

1) Sic recte, ni fallor, secundum Heinsii coniecturam dedit Baehrensius.

atque eadem imagine, sed facilius Ov. a. a. III 21: »Accipe Capaneu! cineres miscebimus, inquit Iphias in medios desiluitque rogos«, trist. V 14, 38: »Ausaque in accensos Iphias ire rogos«, ex Pont. III 1, 111: »Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti Corpus in accensos mittere forte rogos«, Mart. epigr. IV 75: »Arserit Euadne flammis iniecta mariti«. (Cf. etiam Ov. trist. V 5, 53. V 3, 64. Quint. Smyrn. X 480. Nonn. XXVIII 185). Recte Hertzbergius in Propertii comparationem adhibuit Eurip. Suppl. 1004: »ὄρνις ὡσεὶ — αἰώρημα κουφίσασα«, addere potuit Philostr. im. II 30: »ἡ γυνὴ δ'ἡ σφοδρὸν οὕτω πήδημα ἐς τὸ πῦρ αἴρουσα γέγραπται«.

Contraria ex parte Eriphyla, quae aureo monili Amphiaraum coniugem prodidit, exitiosam munerum vim designat. Prop. III 8, 29

Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris [1])

IV 12, 57

Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquamst Amphiaraus equis,

Ov. am. I 10, 51: »E quibus exierat traiecit viscera ferro Filius et poenae causa monile fuit«, a. a. III 13: »Si scelere Oeclides Talaioniae Eriphyles Vivus et in vivis ad Styga venit equis«, cf. Hor. c. III 16, 11. Stat. Theb. IV 211. In eadem, si vera est O. Schneideri coniectura sane probabilis, sententia posuit fabulam Callimachus (cf. fr. 419: »πιπράσκει δ'ὁ κακὸς πάντα πρὸς ἀργύριον«).

Aliam simul fabulam locis modo citatis tetigerunt Propertius et Ovidius. Eriphyla enim non tantum marito interitus fuit causa, sed et ipsa ab Alcmaeone filio in patris ultionem est interfecta. Quem cum ob hoc facinus furiae exagitarent (Prop. IV 4, 4: »Aut Alcmaeoniae furiae«, Hyg. fab. 73. Ov. Metam. IX 409. Ib. 341. Welcker gr. Tr. 575 sqq. Preller gr. Mythol. II³ p. 368), in Arcadiam venit ad Oiclem regem, inde Psophida ad Phegeum. A quo lustratus filiam eius Arsinoen sive Alphesiboeam in matrimonium duxit eique dono dedit monile illud fatale. Sed terra fructus negante Apollinis oraculo monitus profectus inde Callirrhoen Acheloi fluminis filiam uxorem duxit. Quae cum ipsa monile vellet habere, Alcmaeo ad Phegeum reversus, ut dolo auferret, ministro aliquo indicante a filiis Phegei occiditur, Callirrhoe vero necem mariti comperta petit a Iove, ut pueri, quos Alcmaeoni pepererat patrem ulciscerentur: qui statim adulti Alphesiboeae fratres interimunt. Sic fere narrant Hygin. fab. 244. 245 p. 137 Schm.

---

1) Rossbergii (Lucubr. Prop. p. 33) coniecturam sane pulchram: »amari«, recipere non ausus sum. Idem enim inesse puto in lectione vulgari noto poetarum artificio. Deletur etiam homoeoteleuton.

Pausan. VIII 24. Apollod. III 7, 5, qui addit Arsionoen i. e. Alphesiboeam aegre ferentem mortem Alcmaeonis a fratribus suis Agapenori Tegeae regi esse traditam, Ov. fast. II 43 sqq. rem. am. 445. Metam. IX 406 sqq. At aliter prorsus Propertius I 15, 19

Alphesiboea suos est-ulta pro coniuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.

Qui quidem locus certe non est interpretandus cum Welckero (gr. Trag. p. 280) verbis tantum amaris in fratres esse invectam Alphesiboeam, sed potius interfecisse fratres. Ipse postea Welckerus, ubi de Achaei Eretriensis »Alphesiboea« agit (gr. Trag. p. 962), tacite se correxit, simul tamen in alium incidit errorem. Nam cum dicit: Dass von ihr das Drama den Namen hat, in Verbindung mit jener Andeutung lässt als Katastrophe vermuthen, dass Alphesiboea den unglücklichen Gatten an ihren eigenen Brüdern durch Mord rächte, wie Apollod. Prop. u. Ov. erzählen«, non memor fuit et apud Apollodorum et apud Ovidium non Alphesiboeam sed Callirrhoes filios esse ultores. Restat igitur, qui ita narret, solus Propertius [1]), qui unde noverit, nescimus. Nam etiam de Achaei Eretriensis tragoedia modo laudata, etsi satis probabilis est Welckeri coniectura, non certo constat [2]).

Restat ex hac fabularum Thebanarum serie Antigones et Haemonis tristis casus, quem ad Sophoclis tragoediam expressit Propertius vel auctor eius Alexandrinus II 8b, 21

Quid? Non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam nollet inire domum?

Haec legenti cui non in memoriam veniat nuntii narratio Sophocl. Antigon. v. 1192 sqq. et imprimis v. 1239 sqq.? Aliter enim Euripides et incertae, ni fallor, tragoediae auctor apud Hyg. fab. 72 p. 75 Schm. Etiam Ovidius Ib. 559: »Nec tibi siquid amas felicius Haemone cedat«, et trist. III 3, 67: »Fratrem Thebana peremptum Supposuit tumulo rege vetante soror« Sophoclis tragoediam videtur habuisse in mente, fortasse etiam trist. II 402. Sed ad Propertium ut revertar, habemus hoc imprimis loco testimonium, quo, qua mente legerint hi poetae etiam tragoedias, docemur. Qua de ratione dictum extat Ovidii fast. II 381: »Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit, Haec quoque materiam semper amoris habet«. Eadem prorsus

1) idem sensit Eckermann Melampus p. 101.
2) cf. etiam Urlichs Achaei Eretriens. Fragmenta p. 25.

ratione Propertius interpretatur Sophoclis tragoediam. Quid enim? Nonne apud Sophoclem Haemo, postquam contra ipsum patrem gladium strinxit, »αὑτῷ χολωθείς« (v. 1235) in gladium irruit? Propertius vero Antigonam negatam unicam facit causam, cur mortem sibi consciverit.

Transeo iam ad

III. Argonautarum iter,

cuius fabulae poetis elegiacis non parvam praebuerunt materiam, qua res et sententias illustrarent et comprobarent. Et notitiam quidem illius itineris omnes fere poetae Alexandrini suppeditabant, imprimis Callimachus, quem de Argonautarum reditu, quod aetiis probabiliter inserit O. Schneider (Callim. II p. 78 sqq.), carmen scripsisse scimus, et Philetas in Telepho (vid. Rohde gr. Rom. p. 74). Porro clarissima fuerunt illo tempore Varronis Atacini Argonautica, quibus ille Apollonii Rhodii carmen in Latinum sermonem traduxerat. Ipsius tamen Apollonii Rhodii certam imitationem apud Propertium non inveni.

Atque ut initium faciam ab Helle fluctibus submersa, missis iis locis, quibus in transcursu mentionem eius inicit Propertius (I 20, 19: »praeteritis Athamantidos undis«, IV 22, 5: »Si te forte iuvant Helles Athamantidos undae«), bene interitum eius depingit III 21, 5

Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
  Aurea quam molli tergore vexit ovis,

ubi similem animo eius obversatam videri imaginem atque Ovidio fast. III 869 sqq. supra docui. Ovidius et alias saepe memor est Helles et ovis aureae: cf. Ov. fast. IV 903. 715. III 852. a. a. III 175. ep. VI 2. 104. XVIII 133 sqq. trist. I 10, 27. III 12, 3. (cf. Ap. Rhod. I 256. Nonn. X 98 sq. Callim. fr. 469). Imitationem Propertii deprehendere mihi videor Ov. epist. XVIII 141: »Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est, Utque mihi pariat, nomine crimen habet. Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum Aurea lanigero vellere vexit ovis«, neque absimilis est Manil. Astron IV 515: »testis tibi laniger ipse, Cum vitreum findens aurato vellere pontum Orbatumque sua Phrixum per fata sorore Phasidos ad ripas et Colchida tergore vexit«.

Ad Argo navem eiusque per Symplegadas transitum Propertii hi spectant loci: I 20, 17

Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argon
  Egressam longe Phasidos isse viam

III 22, 19

Et qui movistis duo littora[1]), cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari
IV 22, 11
Tuque tuo Colchum propelles remige Phasin
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae

et poetarum aequalium Ov. ex Pont. IV 10, 52. III 3, 79. III 1, 1. ep. XV 345. XVII 157. Metam. XV 337. German. Arat. 532. Notabilis videtur Ovid. am. II 11, 1: »Prima malas docuit, mirantibus aequoris undis Peliacoque pinus vertice caesa vias, quae concurrentes inter temeraria cautes Conspicuum fulvo vellere vexit ovem«, quae omnia conficta sunt secundum Catulli c. 64 initium, et Ib. 263: »Qualis et ipse fuit quo praecipiente columba Est data Palladiae praevia duxque rati«. Ad Propertium denique proxime accedit Lucanus Pharsal. III 193: »Inde lacessitam primo mare, cum rudis Argo Miscuit ignotas temerato littore gentes«.

Pagasis profecti Argonautae ad Lemnum insulam primum appulerunt, ubi Iason ab Hypsipyla regina hospitio receptus et amatus est (Hyg. fab. 15 p. 50 Schm. Apd. I 9, 17. Ap. Rhod. Arg. I 629 sqq.). Propertius I 15, 15

Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo,
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio

certe non ex Apollonio Rhodio hausit, sed ex eodem fonte vel simili, unde Ovidius epistulam confecit sextam, qui et ipse Hypsipyles fidem laudat, Iasonis perfidiam notat (cf. etiam Ov. ep. XVI 191 sqq. et Stat. Theb. V 90 sqq.).

Diutius paullo commorandum est in ea, quam toto carmine tractat Propertius fabula (I 20), Hylae dico ab Hercule amati et a Nymphis rapti. Cuius de auctore, cum variae atque diversae sententiae a viris doctis sint prolatae, ut iustum iudicium fieri possit, primum Propertio duce ipsam historiam enarrare necessarium est. Argonautae igitur cum Pagasis navalibus egressi (Prop. v. 19. Nicander apud Antonin. Liberal. XXVI. Theocr. id. 13, 29) ad Mysorum terram pervenissent (v. 20. Apollod. I 9, 19. Hygin. fab. 14 p. 40 Schm. Dion. Perieg. 865. Orph. Argon. 634. Suid. s. v. Ὕλαν κραυγάζειν), ad montem Arganthum (Prop. v. 33. Ap. Rhod. I 1178. Nicander l. l. Simylus apud Bergk. Poett. lyr. gr. p. 1189³. Euphor.

---

[1]) »Littora« non videntur esse mutanda, nam Propertius eiusdem vocabuli repetitionem non evitat cf. II 5, 23 sq. III 24, 25 sq. IV 14, 37. IV 10, 16 sq.

fr. 85 Mein.) et flumen Ascanium (Prop. v. 4. 6. Nicand. l. l. Euphor. fr. 94 Mein.) sive Cion (Ap. Rhod. I 1178. Hyg. f. 14. Dion. Perieg. 806. Priscian. Perieg. 773) appulerunt procella coacti (Prop. v. 21 (?). Nicand. l. l.). Ibi dum heroes cenam parant (Theocr. id. 13, 32), sive dum Hercules in monte venatur, ut cenam ociis compareт (Nicand. l. l. Orph. Argon. 642), sive ut remum fractum reparet (Ap. Rh. I 1187), Hylas Thiodamantis (Prop. v. 6. Callim. fr. 410. Ap. Rhod. I 1213. Apollod. I 9, 19. Hyg. fab. 14. f. 241 p. 146 Schm. Serv. ad Verg. Ecl. VI 43. Suid. l. l.) aut Theomenis (Hellanicus apud schol. ad Ap. Rhod. I 1207) aut Ceycis (Nicand.) aut Polyphemi (Euphorion fr. 149 Mein.) filius pulcherrimus (Prop. v. 5. 45. 52. Theocr. 13, 7. 72. Ap. Rhod. I 1230. Nicand. l. l. Ov. a. a. II 110. Senec. Med. 642. Stat. Theb. V 443. Petron. c. 83. Nonn. XI 228), Herculis amasius, situla (Nicand. »κρωσσὸν ἔχων«. Theocr. 13, 46 »πολυχανδέα κρωσσόν«), sive urna (Ap. Rhod. I 1107 »χαλκέῃ σὺν κάλπιδι«), sive amphora (Callim. fr. 546) instructus aquatum ivit. Cumque mox (Theocr. 13, 39. Ap. Rhod. I 1221) ad fontem (Nic. l. l. Serv. ad Verg. Ecl. VI 43) montis Arganthi, cui nomen erat Pegae (Prop. v. 33. Ap. Rhod. I 1221. 1243), in antro (Prop. v. 35. Orph. Argon. 648) sive in prato (Theocr. 13, 40) variis floribus consito (Prop. v. 35 sq. Theocr. 13, 40 sqq. Callim. fr. 253(?)) venisset, Nymphae, quae illic choros ducebant (Prop. v. 46. Ap. Rhod. I 1223. Theocr. 13, 43) candore pueri incensae aquam haurientem (Prop. v. 43 sq. Theocr. 13,46. Ap. Rhod. I 1234 sq. Nicand.) rapuerunt et in fontem traxerunt (Prop. v. 47. Theocr. 13,49. Apollod. I 9, 19. schol. Ap. Rhod. I 1236) [1]. Una tantum Nympha Hylam rapit apud Ap. Rhod. I 1228. Dion. Perieg. 806. Petron. c. 83. Cum igitur non rediret Hylas, Hercules undique circumerrans eum quaesivit (Prop. v. 13. Ap. Rhod. I 1261. Theocr. 13, 65. Nicand. l. l. Nonn. XI 227. Iuven. sat. I 164) neque invenit. Apud Ap. Rhod. I 1240 Polyphemus Herculis socius clamantem audit Hylam Herculique occurrenti calamitatem indicat, postea ad quaerendum puerum relinquitur, cf. Apollod. l. l. Hygin. l. l. Nic. l. l. Suid. l. l. Orph. Argon. 656. Clamanti autem Herculi (Prop. v. 49. Callim. fr. 512 »ἰύζων ἀν' ὄρος«. Ap. Rhod. I 1272. Theocr. 13, 58: »τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν«. Nicand. »ἐβόησε πολλάκις«. Stat. silv. I 2, 199 »clamatus Hylas«) [2], »nomen ab extremis

[1]) »Raptus« Hylas posterioribus imprimis placebat cf. Ov. a. a. II 110. Mart. epigr. V 48. VI 68 VII 15. IX 66. X 4. Auson. epigr. 95. Nonn. XI 227.

[2]) In proverbium abierat Ὕλαν καλεῖν (schol. Dion. Perieg. 865) vel Ὕλαν κραυγάζειν (Suid. s. v.).

fontibus aura refert« (Prop. v. 50. Theocr. 13, 59: »ἀραιὰ δ'ἵκετο φωνὰ ἐξ ὕδατος«. Nicand. »ἀνεφώνησεν πολλάκις«. Val. Flacc. Argon. III 596: »Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat Avia, responsant silvae et vaga certat imago.«). Nymphae enim Hylam Herculem timentes in echo mutaverant (Nicand. l. l.)[1]). In honorem autem Hylae ab incolis eius regionis sacra colebantur, in quibus ter sacerdos Hylae nomen vocabat et ter vox remittebatur (Nicand. l. l. Ap. Rhod. I 1354. Serv. ad Verg. Ecl. VI 43. Suid. l.l.). Poetas igitur aetatis Alexandrinae in universum videmus congruere inter se; magis minusve dissentiunt posteriores Valerius Flaccus Arg. III 485 sqq., Orpheus in Argonauticis maximeque Dracontius in »Hyla«.

Iam ut tandem ad Propertium veniam, cum dubium nullo modo possit esse, quin ad exemplaria Alexandrina sese adplicuerit, oritur quaestio, quem potissimum ducem sibi elegerit. Qua de re in diversa abierunt viri docti. Qui enim novissime de hac fabula egit, Rohdius (gr. Rom. p. 105 not. 3) varias fabulae formas miscere Propertium, in universum vero Nicandrum sequi censet. Et arridet sane haec opinio primo quidem obtutu, sed in accurata inquisitione stare non potest. Nam quibus in rebus Propertius cum Nicandro consentit, de Argantho monte, de Ascanio flumine, de plurium Nympharum amore, de Hyla converso, ea omnia etiam alii habent auctores, de patris vero nomine, quem Ceycem appellat Nicander, differunt[2]). Deinde id quod narrat Propertius de Calai et Zete Boreadibus Hylam insectantibus (v. 25 sqq.), aliunde plane ignotum (falsissime autem nonnulli ipsius Propertii ingenio id attribuere volebant), non omissurum fuisse existimo Antoninum Liberalem, si Nicander habuisset. Sed alia consideratio alio ducit. Theocriti enim et Apollonii Rhodii narrationes legentem non potest fugere, saepe mirum in modum et rebus et verbis eos cum Propertio consentire, velut Prop. v. 21 sq. et Theocr. v. 32: »'Εκβάντες δ' ἐπὶ θῖνα κατὰ ζυγὰ δαῖτα πένοντο Δειελινήν, πολλοὶ δὲ μίαν στορέσαντο χαμεύναν«, Prop. v. 23 sqq. et Theocr. v. 36: »κ'ὤχεθ' Ὕλας ὁ ξανθὸς ὕδωρ ἐπιδόρπιον οἴσων«, Prop. v. 43 sqq. et Theocr. v. 46: »ἤτοι ὁ κοῦρος ἔπειχε ποτῷ πολυχανδέα κρωσσὸν Βάψαι ἐπειγόμενος«, Prop. v. 45 et Theocr. 53: »τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός. Τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑπάκουσεν, ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνὰ ἐξ ὕδατος«, Prop. v. 15 et Theocr. v. 66: »σχέτλιοι οἱ φιλέοντες ἀλώμενος, ὅσσ' ἐμόγησεν οὔρεα καὶ δριμούς«.

---

1) Apud Nicandrum (p. 225, 27 Westerm.) pro eo quod nunc habetur πλεῖστα ποιησάμενος legendum est πλεῖστα πονησάμενος.

2) Quod vero alii Ascanium, alii Cion vocant flumen, nullius est momenti. Cf. Ap. Rh. I 1178.

Antri Nympharum descriptio Prop. v. 35 sqq. similis est Theocr. v. 40 sqq. Ex Apollonii Rhodii narratione praeter fontis nomen simillima sunt v. 1234: »αὐτὰρ ὅγ' ὡς τὰ πρῶτα ῥόῳ ἔνι κάλπιν ἔρεισεν λέχρις ἐπιχραμφθείς« et Prop. v. 43 sq.: »Tandem haurire parat demissis flumina palmis Innixus dextro plena trahens umero«. Pauca quaedam eaque singularia etiam Theocritus et Apollonius Rhodius habent communia, cf. Theocr. v. 39: »τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν« et Ap. Rhod. 1221: »αἶψα δ'ὅγε κρήνην μετεκίαθεν«; Theocr. v. 46: »ἤτοι ὁ κοῦρος ἐπεῖχε πότῳ πολυχανδέα κρωσσόν« et Ap. Rhod. 1234: »αὐτὰρ ὅγ' ὡς τὰ πρῶτα ῥόῳ ἔνι κάλπιν ἔρεισεν«; Theocr. v. 36 et Ap. Rh. v. 1208. Theocr. v. 61 sqq. Hercules cum leone esuriente comparatur, simillime Polyphemus apud Ap. Rh. 1242 sqq. Haec si considero, certum videtur mihi esse, Propertium Theocritum Apollonium Rhodium uno eodemque fonte usos esse, quem etiam Nicandro ante oculos versatum esse non caret probabilitate (cf. Theocr. v. 46 et Nic.: »κρωσσὸν ἔχων«; Theocr. v. 65: »ἀλώμενος οὔρεα καὶ δρυμούς« et Nic.: »ἐξερευνᾷ πανταχοῖ τὸν δρυμόν«; Ap. Rhod. 1239: »μέσῃ δ'ἐνικάββαλε δίνῃ« Nic.: »ἀρυόμενον δὲ καταβάλλουσιν εἰς τὴν κρήνην«). Iam cum sciamus Theocritum discipulum fuisse Philetae atque ab illo fabulas, quae ad Argonautas pertinent, esse tractatas (cf. fr. 25), etiamsi fr. 23 B. non Philetae videtur esse, sed Phileae (cf. Mein. ad Euphor. fr. 85; obloquitur tamen Unger Anal. Prop. et Phil. p. 90), tamen summam prae se fert probabilitatem sententia iam ab Ungero (Anal. Prop. et Philet. p. 26) prolata, sed argumentis non sat idoneis confirmata, Propertium in universum ex Phileta sumpsisse fabulam. Et in hunc tener ille narrationis Propertionae color egregie convenit. Qua ratiocinatione, quominus cum Rauchio (die Fragmente der Aetien des Callimachus p. 34) unum Callimachum a Propertio esse expressum, etsi certe novit et nonnulla fortasse inde in usum suum transtulit, credam et quominus cum Fritzschio (praef. ad Theocr. id. 13) Theocriteam imitationem statuam, impedior.

A Mysorum terra profecti in Colchida perveniunt Graeci, ibique Iason Medea adiuvante labores ab Aeeta impositos perficit. Quos labores cum alii enumerant (Ap. Rhod. III 1278 sqq.) tum Propertius IV 10, 9

Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
  Egit et armigera proelia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Aesonias aurea lana domos [1]).

In quo notandum est, ad ipsam Medeam transferri quae auxilio

[1]) cf. Ov. ep. XII 128: »Ponitur ad patrios aurea lana deos«.

eius perfecit Iason[1]). Prorsus similiter describit Ov. ep. VI 9: »Cur mihi fama prior quam nuntia littera venit, Isse sacros Martis sub iuga panda boves, Seminibus iactis segetes adolesse virorum, Inque necem dextra non eguisse tua, Pervigilem spolium pecudis servasse draconem, Rapta tamen forti vellera fulva manu«, et ep. XII 15 sqq. et Metam. VII 100—158. Aliquatenus fortasse praeivit Euripides Med. 476:

πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην
ζεύγλαισι καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην,
δράκοντα θ᾽ ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας
σπείρας ἔσωσε πολυπλόκοις ἄυπνος ὤν,
κτείνασ᾽ ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον,

nisi quod ille antiquiorem mythum secutus interfici facit a Medea draconem, quem consopitum esse postea vulgaris erat fama.

Amores Medeae Iasonisque perfidiam et poenam, tragica prorsus argumenta, saepius videmus adhibita a poetis elegiacis, Propertio et Ovidio. Sic igitur Propertius III 32, 8

Colchis et ignotum nonne secuta virumst?

V 5, 41

Nec te Medeae delectent probra sequacis
(Nempe tulit fastus ausa rogare prior).

III 14, 11

Colchida sic hospes quondam decepit Iason;
Eiecta est, tenuit namque Creusa, domo.

III 19, 29

Iam tibi Iasonia notast Medea carina
Et modo servato sola relicta viro.

Atque ut de ultimo hoc loco, qui est difficillimus, primum agam, versum priorem: »Iam tibi« e. q. s. ineptissimum esse rectissime sensit Lachmannus, neque Hertzbergius artificiosa interpretatione quicquam profecit (vid. Koch. symbol. philol. Bonnens. p. 323 sq.). Coniecturae tamen Lachmanni (»Iam tibi Iasonia votum est Medea carina«) Kochii l. l. (»Phasis Iasonia vecta est Medea carina«) Baehrensii (»Quam cito Iasonia vecta est M. c.«) non magis placent, quam quod Heimreichius proposuit (symbol. philol. Bonnens. p. 680), eiciendos esse vv. 28 et 29, quam quidem opinionem iam alii redarguerunt (Weber Quaest. Prop. p. 31. Rossberg Lucubrat. Prop. p. 17). Infelicissime denique omnium Weberus (l. l.) totum hunc, de quo agimus, locum defendere conatus est comparato Ovidio a. a. III 33 sqq.: »Phasidiam matrem fallax dimisit Iason, Venit in Aesonias altera nupta sinus. Quantum in te Theseu volucres Ariadna marinas Pavit in

[1]) *Idem agit* Ov. ep. XII 163 sqq.

ignoto sola relicta mari«. Ovidium enim ad Propertianum locum respexisse contendit praecedente Kochio l. l.: sed ignarus fuit uterque non Propertium sed Lygdamum Ovidio fuisse in memoria el. II 6, 39: »Gnosia Theseae quondam periuria linguae Flevisti ignoto sola relicta mari«. Iam vero utroque loco non Medea dicitur sola relicta, in quo cardo rei vertitur, sed Ariadna, eodemque modo apud omnes poetas et Graecos et Romanos: cf. Ap. Rh. III 433: »στήθεα παρθενικῆς Μινωίδος, ἥν ποτε Θησεὺς Κνωσσόθεν ἑσπομένην Δίῃ ἔνι κάλλιπε νήσῳ«, Catull. 64, 57: »Desertam in sola miserum me cernat arena«, v. 133: »Perfide deserto liquisti in littore, Theseu«, v. 200: »Sed quali solam Theseus me mente reliquit«, Ov. ep. II 76: »Sedet in ingenio Cressa relicta tuo«, ep. X 80: »Sed quaecumque potest ulla relicta pati«, ep. IV 116: »soror est praeda relicta feris«, Stat. silv. I 2, 132: »Gnosida desertam profugus liquisti«, Anth. Lat. 234, 23 R.: »Sola relicta toris flevisti in littore«, Nonn. Dion. XLVII 269: »ἄρτι γὰρ ὑπνώουσαν ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐάσας παρθενικὴν λιπόπατριν ἀμείλιχος ἔπλεε Θησεύς«. His exemplis allatis satis apparet, Propertii verba »et modo servato sola relicta viro« nullo modo posse accipi de Medea, id quod recte perspexit Heimreichius l. l., eoque minus id licet quod non »modo servato« viro sed multos post annos Medea ab Iasone est eiecta.[1]) At vero Ariadnes, ad quam unice quadrant verba, mentio iam antecedit (v. 27) nec repeti poterat. Quare cum etiam versus antecedens sit ineptus, facile aliquis totum hoc distichon pro spurio habeat nec fortasse me quidem iudice nimis a vero aberret. Sed utut res se habet, id unum constat, ita ut nunc legitur locum a Propertio non esse profectum, sed corruptelis et interpolationibus misere foedatum esse.

Verum ut ad reliquos, quos supra laudavi, locos me convertam, Medeam sequacem habes etiam in Apollonii Rhod. narratione Arg. III 1105 sqq. IV 66 sqq. (cf. Ov. ep. VI 133 sqq. XII 31 sqq.). De eiecta autem Medea apposite cum Propertio comparabis Ov. ep. VI 229: »Omnia Medeae fallax promisit Iason, Pulsa est Aesonia num minus illa domo?« a. a. III 33: »Phasidiam matrem fallax dimisit Iason, Venit in Aesonias altera nupta domos«, ep. XII 134: »Ausus es »Aesonia« dicere »cede domo« (cf. a. a. II 103. rem. am. 261). Quibus locis collatis minus mihi placet, quod Baehrensius (Misc. crit. p. 91) proposuit [et in edit. scripsit]: »Electa est tenuis namque Creusa toro«. Neque enim »tenuis« Creusa, quam

[1]) Itaque etiam qualis in Baehrensii codd. D(aventriensi) et V(aticano) legitur versus: »Et modo ab infido sola relicta viro«, Propertianum esse non puto.

scripturam sane praebent Baehrensii codd., quid ad sententiam valeat, satis percipio. Itaque versum ita exhibui, ut Rossbergius (Lucubrat. Prop. p. 33) eum constituit.

Nec reliqua Creusae et Medeae fata omnibus vel ex tragoediis nota omisit Propertius: III 8, 30

Arserit et quantis nupta Creusa malis.

IV 18, 17

Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?

Quantopere omnium in ore fuerit fabula testatur Ovidius, qui tragoediam Medeam scripsit, a. a. I 335: »Cui non defleta est Ephyreae flamma Creusa, Et nece natorum sanguinolenta parens« similiterque Metam. VII 399: »Sed postquam Colchis arsit nova, nupta venenis, Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque, Sanguine natorum perfunditur impius ensis« et trist. II 387: »Tingueret ut ferrum natorum sanguine mater, Concitus a laevo fecit amore dolor«, quibus in memoriam revocat Verg. Ecl. VIII 67: »Laevus amor docuit natorum sanguine matrem Commaculare manus«. (cf. praeterea Ov. am. II 14, 29. rem. am. 59. Hor. ep. 5, 63. Cul. 248. Anthol. Pal. IX 345 sq.)[1]).

Veneficam denique ostendit Propertius Medeam II 1, 54, ubi Pelian a filiabus interfectum et in aeneum lebetem coniectum tangit:

Colchis Iolciacis urat ahena focis.

Pluribus rem narrat Ov. Metam. VI I297 sqq. et ep. XII 129 sqq. non sine Alexandrino, puto, exemplari. Cum Circe venefica componitur Medea Theocr. id. II 15, quocum cf. Prop. II 4, 17. Tib. I 2, 51. II 4, 55. Ov. am. I 14, 39.

---

1) De nomine Creusae pauca videntur esse addenda. Cum enim nomen eius Euripides in Medea plane reticeat, auctores Graeci (Diod. IV 52, 2 al. Athen. XIII 560d. 556c. Lucian. salt. 42. 80. Anthol. Pal. V 288. VII 354. VII 262 al.) et Latini posteriores (Auson. epigr. 130. Anth. Lat. 21, v. 200 R. Nemes. Cyn. 43. Dracont. Med. 369. 426 al. Baehrens Uned. Lat. Ged. p. 133) constanter Glaucen appellent, Augusteae aetatis poetae, Propertius et Ovidius, deinde Seneca Med. 498, 512 et Stat. silv. II 1, 141 al. Graecos, ni fallor et ipsi secuti et ad patris Creontis nomen alludentes Creusam vocant. Hyg. fab. 25 p. 55 Schm. Glauces et Creusae nominibus promiscue et sine discrimine utitur.

Dimidia haec fere pars est dissertationis amplissimo philosophorum ordini traditae. Quae reliqua sunt opportunitate data publici iuris faciam.

Vita

Natus sum Augustus Otto anno h. s. LVI die XV m. Augusti in vico regionis Lubanensis, cui nomen est Hennersdorf, patre Iosepho, matre Iosepha e gente Enders, quos adhuc superstites esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primitiis domi imbutus per virum venerandum Ios. Pohl, qui sacris illic praeest, anno h. s. LXX gymnasium adii Glogoviense catholicum, quod tunc Ed. Wentzel, postea F. W. v. Raczek floruit directoribus. Maturitatis testimonium adeptus autumno a. h. s. LXXV Vratislaviam me contuli studiis philologicis operam navaturus. Per novem semestria scholas frequentavi v. v. ill. Dilthey, Dove, Elvenich, Pfeiffer, Hertz, Lindner, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weinhold. Per tria semestria sodalis fui seminarii regii philologici extraordinarius, ordinarius per duo. Seminarii Germanici exercitationibus interfui quinque semestria, ac sodalis fui ordinarius unum semestre. Praeceptoribus meis, imprimis v. v. ill. M. Hertz, A. Reifferscheid, A. Rossbach, K. Weinhold summas ago gratias et semper pio eos gratoque animo prosequar.

Sententiae controversae

I Prop. V 5, 45 sq. transponendos esse censeo post v. 28.

II Prop. II 1, 57 sq. pro spuriis non sunt habendi.

III Fabulam, quae est de Pane Pityn amante, haberi apud Prop. I 18, 19 nego.

IV Cic. epist. ad Att. III 20, 1 pro eo quod codd. habent: »Ego huic spei et exspectationi, quae nobis proponitur maxima, tamen volui« e. q. s. restituendum est: »iam volui.«

V Cic. epist. ad Att. IV 10, 6 sic scribo: »Quod quaeris a me fugamne defendam an moram utiliorem putem« e. q. s.

VI Cic. epist. ad Att. X 14, 2 corrigendum existimo: »haec igitur si habebis et alia« e. q. s. Vulgata scriptura est: »et talia«.

VII Cic. ep. ad. Att. XV 3 init. sic emendaverim: »XII Kal. accepi in (Arpi)nati duas epistulas tuas«.

VIII Senec. rhet. p. 163, 24 Kiessl. eiciendum est voc. »rem« post »inutilem«.

IX Senec. rhet. p. 221, 7 Kiessl. scribendum est: »Consilium luxuriante filio honestum, emendato est supervacuum«.

X Senec. rhet. p. 361, 7 Kiessl. in themate controv. VII 8 restituendum est: »Iudicio victus vult ducere; illa optionem repetit«.

XI Lycurg. Leocrat. § 14 sq. enuntiatum relativum »οἳ ἴσασι« e. q. s. collocandum esse puto post verba »τὴν πόλιν τὴν τῶν Ῥοδίων«.

XII Callim. fr. 511 O. Schn. petitum videtur ex carmine »Σεμέλη«.

XIII Ius historiam Propertius Ovidius Nonnus secundum Callimachi carmen, cui inscriptum erat Ἰοῦς ἄφιξις, narrant.

XIV Solem epularum Thyestearum atrocitate retro fugatum esse primus, quantum scimus, narraverat Sophocles.

XV Euripides in »Antiopa« Antiopam a Dirce adulterii cum viro suo suspectam eoque vexatam nondum finxerat, id quod contendit O. Iahn.